AD CALUMNIAS, ET IMPOSTURAS, A PSEUDO-PARLAMENTIS, ...

Matteo Zampini



AD CALVMNIAS, ET IMPOSTVRAS, A PSEVDO-PARLAMENTIS,

Cathalaunensi, & Turonensi, ac Carnotensi, Conuenticulo, ad Catholicæ Religionis perniciem, Populíque deceptionem, impiè confictas in GREGORIVM XIIII. illiúsque monitionis literas, ad Clerum, Principes, Nobiles, & Populos Franciæ.

RESPONSIO,

MATTHÆI ZAMPINI
RECANATENSIS, I. C.

Prouerbiorum 26.

Respondeas STVLTO IVXTA STVLTITIAM *suam, ne sibi sapiens esse videatur.*








LVGDVNI,
APVD IOAN. PILLEHOTTE.
M. D. XCII.





ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO D. DOMINO ANTONIO MAriæ Saluiato, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinali, Matth. Zampinus fœlicitatem.



I FRANCIAM *illam, quam licet nõ prisco fulgore splendentem videris, magnam nihilominus & florentem vidisti, hodie videres, profecto sine lachrymis aspicere illã non posses*, REVERENDISSIME ET ILLVSTRISSIME DOMINE. *Videres enim illã, per plures annos pestilentia quassatam, fame domitam, hisce diebus, ferro, & igne, ab hæretico dirutam vndique, atque prostratam: adeò, vt in nulla ipsius, etiam remotißima parte, antiquæ faciei speciem posses agnoscere. Ab illa enim Nobilitate, cuius maiores summa*

cum pietate, in Africa, & Asia Nobilem, ac tremendam eam reddidere, degeneri cũ impietate videres vbique vri, atque vastari. Videres Lutetiam, Regni caput, quam diuitem, opimam, triumphantemq́ vidisti, adeoq; populi fœcundam, vt licet vastè pateat, illius viæ præ populi multitudine, inuiæ ferè essent, ad tantam necessitatem, miseriamq; redactã, vt solitudinem illam potius existimares, quàm Ciuitatem. Trienny namq; arcta obsidione, inopia, infirmitatibus, peste, maximã Ciuium partẽ amisit. Et ex his qui supersunt, plures, solitos optimè viuere, & opipare, multósque nutrire, miseros, & panem emendicantes aspiceres. Videres Iustitiæ administrandæ munus, ab illis, qui nullam habent iustam potestatem, & se falsò Parlamenta constituere iactãt, summa cum iniuria occupari, Videres, proh dolor, GALLICANAM ECCLESIAM, *quæ à recepta fide, monstris caruerat, non solũ ab armis, & fraudibus hæreticorũ, monstris repleri, sed etiã ipsam-*

met, à

met, à suis potioribus membris lacerari, atque discerpi. Et nisi ij, qui ante Baal genua non curuāt, Dei auxilio protegantur, profectò ne illa alibi requirenda sit, valde timeo. Quæ omnia copiosius demonstrari posse nō video, q̄ si quæ in duobus pseudo-Arrestis, & articulis aliquibus, in Carnotensi Conuenticulo editis, & in sua substantia, in paruo hoc libro à me inclusis, continentur, patienter perlegantur. Cùm enim summus Pontifex GREGORIVS XIIII. suum boni Pastoris, CHRISTÍQVE VICARII, munus explicans, suis monitionis literis Clerum, Principes, Nobiles, & Populos Frāciæ, qui Nauarrū sequebantur, vt Nauarrum desererent, & ad Catholicum ouile redirent, monuisset; exarserūt impij Pseudo-Iudices Cathalaunenses, & Turonenses; & ij ex Clero, qui Carnuti cōuenticulum fecerunt: literas discerpserunt, & GREGORIVM ipsum, impuro ore, lacerarunt. Qua ego indignitate motus, qui me Catholicum sum semper professus, & Dei auxilio, ad necem

vsque sum semper professurus, & qui sum SANCTÆ SEDI APOSTOLICÆ, ILLIVSQVE SVMMO PONTIFICI, *subditus naturalis, illi maledici, illiúsque supremam potestatē, atque auctoritatem, iniuria abnegari, æquo animo pati, neque potui, neq; tacitè ferri, saluo fidelitatis debito, posse censui. Et neq; ideò ex exilitate mearū virium, cuius non sum nescius: neq; ex eo, quod ea facundia, carerem, quā in re tanti ponderis dignè pertractanda, necessariam esse scirē (non enim Romanā eloquentiam, puritatémque, Latini Sermonis, ex Bartolo, Baldo, & huius claßis auctoribus, in quibus sum quandoq; versatus, haurire potui) nō inopia librorum, quos non nisi ab amicis precario sumptos habeo, & ab annis iam 25. meorum supellectilem, quam non exilem habeo, adire nō est mihi datum: nec ab aliis multis, quæ me absterrere potuißet, retineri potui, quin fidelitatis debito satisfaciens,* REIPVBLICÆ CATHOLICÆ, NATVRALÍQVE PRINCIPI


MEO,

MEO, *pro viribus adsisterem. Respondi itaq; obiectis calumniis, & maledicta, & imposturas confutaui. idq; me, causæ bonitate confisus, consequutum esse puto, vt si quæ dixi, nō probabuntur, id nihilominus, quod dicere volui, æqui, boniq; viri nō improbent. Verum cum librum ipsum, vt malignantiū impietates, & imposturæ notæ omnibus fiant, atq; à piis omnibus afflictæ Franciæ, periclitantique* GALLICANÆ ECCLESIÆ, *viribus, consiliis, orationis, suppetiæ ferantur, in lucē dandum duxerim, non alio, quàm sub* TVO NOMINE *emittendum esse censui. Tibi enim dicari,* ILLVSTRISSIME ET REVERENDISSIME DOMINE, *pluribus debet nominibus. Uno, præ cæteris, quia* NOBILE MEMBRVM ES SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ, *vnus quippè* EX PRINCIPIBVS MEIS, *de quorum dignitate agitur, & qui pro summis Pontificibus,* PIO V. ET GREGORIO XIII. ORATOR, *Franciæ, per plures annos*

adsistens,

adsistens, incolumitati illius plurimum cõtulisti. Altero, quia libera deditione, ab annis vltra viginti, meus effectus es PRÆCIPVVS DOMINVS. *Rursus altero, ne plura promam, quia, quæ tua est humanitas, existimationis meæ curam non minimam habere te, sæpius es re ipsa testatus. Qua de re, cũ ea obsequia, quæ à me erant* DIGNITATI TVÆ *præstanda, sinistræ meæ res, quæ me ab illa, lato terrarũ spatio, disiunctũ tenuere, præstare prohibuerint: & ingrauescẽte ætate (septuagesimũ enim & secundum annum ago) de præsentia ea exhibere posse, iam iam desperem: saltẽ me illa debere publico hoc testimonio, ingenuè profitebor. Accipe igitur, cum ipso libro, hanc meæ optimæ voluntatis professionem,* ILLVSTRISSIME AC REVERENDISSIME DOMINE, *ea, qua omnibus præstas, benignitate, & me* TIBI, DIGNITATIQVE TVÆ, *seruitutis iure adstrictum, vt soles, amanter retine. Lutetiæ Parisiorum, Kalendis Octobris,* 1591.

AD



AD CALVMNIAS ET IMPOSTVRAS A PSEVDO PARLAMENTO

Cathalaunensi, ad Catholicæ Religionis perniciem, Populiq; deceptionem, impie confictas in Gregorium Papam XIIII. illiusq; monitionis literas, ad Clerum, Principes, Nobiles, & Populos Frãciæ.

DEFENSIO.



MIRVM quàm subdola, insidiosáque sit versutia Sathanæ, Quámve temeraria, & insolens sit eorum prauitas, qui lapsi in hæresim, & atheismum, impugnant Catholicam Ecclesiam, atque illam disturbatam ab Europa, ad Indos, & Iapones ablegare, vt illi Geneuensem surrogent, omni astu, totis viribus, ausu impio, desudant. Nimirũ cum GREGORIVS XIIII. Opt. Max. ad summum Pontificatum, Prudẽtia, & pietate sacro-sancti Senatus Catholicæ Ecclesiæ: præue-

niẽte, illíque aſſiſtente infallibili prouidẽtia Dei, deploratis hiſce noſtris diebus,tractus fuiſſet:& is ea animi integritate, quæ ab infantia ſecũ ſemper eſt aucta; ad tantum culmen, tantúmque onus, euectus, Paſtoralem ſollicitudinem induiſſet: & inter grauiſſimas calamitates, quibus premitur vndique Chriſtiana Reſpublica ſibi commiſſa, præſtantiſſimum Franciæ Regnum, membrum Catholicæ Eccleſiæ nobiliſſimum, & ob multa & præclara merita, Sedi Apoſtolicæ, ſibíque chariſſimum, ab inuaſoribus hæreticis & atheis,perturbatum,illiúſque vrbes,& terrena omnia, ſpiritualia pariter & cæleſtia, bona, Dei cultum, & animarum ſalutem, redacta in pernitioſum diſcrimẽ, ni maturè, ac fortiter ei conſuleretur: è ſumma ſpecula,proſpexiſſet: ad ſuum munus implendum animum ſtatim addixit: Atque inter alia ſalutaria remedia,& id per neceſſarium duxit,hortari nempe & hos ex clero, & illos è nobilitatè, qui in Catholicos pugnant pro hæretico, & illum, qui ſine ipſorum viribus, conſiliis, & armis, iam eſſet deperditus,roborant, & ſuſtinent;in ipſorum,& exiſtimationis,ſuíque ipſius,Regni,& Catholicę Eccleſiæ perditionem, & interitum. Huiúſque rei gratia, binas Pontificias literas in forma Bullæ datas, vnas nempè ad Clerum, alteras ad Nobilitatem dedit: omnes paterne, ac placidè monuit, vt intra certum tempus, ab hæretico, & à damnatione ſe retraherent, & ad Catholicæ Eccleſiæ vnionem, & ſalutem reuerterentur.

Sed mirum rurſus dico quàm verſutus eſt Sathanas,

thanas, quámve praui, temerariíque sunt illi, qui heresim semel atheismúmque gustauerint? ij vtique Sathanæ suggestione ex eo scandalum perceperunt, ex quo suæ reuersionis, & salutis initium sumere par erat: perfidiam imitati Sathanicam, perire elegerunt, & alios seducere, & ad interitum trahere & dolo, & vi conantur. Quando quidem Parlamētei quidam Pseudo iudices Cathalaunenses, priuati, ac praui homines, & nullam habentes in Ecclesiam potestatē, nec legitimam extra illam indurata perfidia, ipsas monitoriales ac salutares summi Pontificis literas non solum non receperunt, sed improbarunt, legi, haberíqne in multorum perniciem prohibuerūt, atque impiè in pseudo ipsorum prætorio, lacerari fecerūt: de quibus latius infra: si prius viderimus, An ad id etiam iniustè patrandum, potestatem aliquam aut habuerunt, aut habere potuerunt. Et quoniam ipsos illam non habere per se est extra controuersiā, ideò perquirēdum est an ab eo, quem Principem suum agnoscunt, habuerint illam, aut habere potuerint.

NAMQVE qui habere illam asserit: necessario aut à se habet, aut ab alio. A se verò, aut quatenus est priuatus, aut vt est Princeps. Quatenus verò priuatus est, potestatem nullam habere potest; nec in Ecclesiam, quia vt alij, Ouis est, & non Pastor: nec extra eam, quia vt alij, ciuis est, & non Dominus. *Et par in parem non habet Imperium.*

SI pretendit habere vt Princeps, de necessitate illam habet ab illo, à quo etiam habuit vt princeps esset: si enim Princeps nō esset, vtiq; non haberet.

PRINCEPS autem eſt, aut electione, aut ſucceſſione. At quia is, qui ſuccedit, ab illo habet vt Princeps ſit, cui ſucceſſit, aut ab illo, à quo habuit ille, cui ſucceſſit, vt & ille pariter habuit à ſuis præceſſoribus, qui electi fuerunt: Quærendum eſt, an haberi poteſtas hæc poſſit ab electione: cum tandem ad electionem recurratur.

ELIGITVR autem Princeps à populo, & aut expreſſe ad id agendum congregato, aut tacitè. Expreſſe, vt Romani ſuos Reges eligebant, vt hiſce diebus electus eſt Suedus a Polonis in Regem Poloniæ, & vt electus fuit à Francis Pharamūdus: ne plures nominem. Tacitè, vt cum quis Principatum aliquem, aut armis, aut aliis artibus occupat, & illum iuſtè & legitimè ad populi vtilitatem gubernat, ita vt, temporis curſu, populus in illius dominationem conſentiat, tacitéque illam approbet: tunc enim conſenſus ille tacitus, illáque approbatio vim habent legitimæ electionis, & dominationem illam, quæ prius tyrannis erat, purgant & legitimam faciunt. Sed quia is Principatus aut expreſsè, aut tacitè à populo venit, & populus poteſtatem illam in illum transferre duntaxat poteſt, quam ipſe habet: quærendum eſt, an populus poteſtatem habeat in Eccleſiam.

ET certum eſt, poteſtatem habere non poſſe populum in Eccleſiam, nec vt ſinguli ſunt in populo, nec vt ſunt in communione: Quia vt ſinguli, vt eſt dictum de Principe, ſunt inter ſe pares, tam in Eccleſia, quam extra eam: *Et inter pares non eſt Imperium.*

NEC

Nec illam habere possunt vt sunt in communione, *quia quod quis per se non habet, nec alteri dare potest, nec in communionem conferre*. Et cum ex his, qui communionem faciunt, vt diximus, prout sunt singuli, nullus potestatem aliquam habeat, *& nullus in cõmunionem conferre illam possit, quam non habet*; apparet clarè, quod nec à singulis populi, nec à populi communione, potestas haberi potest in Ecclesiam.

Nec iuuat si dicatur, quod, cum rei euidentia in omni populo, quantumuis barbaro, videamus potestatem in esse, apparet quod licet populus potestatem per se non habeat, habet nihilominus illam necessario ab alio: & quod quomodocunque illam habeat, certum vtique est illam habere.

Qvia cum constet ex dictis, quod homines nec vt singuli sunt, nec vt communionem faciunt, potestatem aliquam à se habent, & quod aliquis ideò nec per se, nec ab alió homine illam habere potest, sequitur de necessitate illam habere, aut expresse à Deo, aut à Natura.

At illam non habere expresse à Deo, cum satis ex eo probetur, quod non probetur habere, nec appareat ex sacris literis, sequitur quòd quam habet populus potestatem, habet largitate Naturæ. Natura enim tunc cum homini cõmunionem suggessit, *Suggessit & id omne, sine quo non potest communio conseruari*: & cum seruari sine potestate, ac Rectore minimè possit, *suggessit concessitque communioni etiam & potestatem, & facultatem transferendi potestatem illam vel in vnum Rectorem, vel in plures,*

pro commodiori illius vſu,vt melius communioni ipſi eſſe videretur. De quo cum paſſim habeatur, hic plura dicere prætermitto.

ATQVI cum quæcumque poteſtas illa ſit, aut quomodocumque vel in vno, vel in pluribus reſideat,vel in tota communione, à Natura duntaxat proueniat: Cúmque poteſtas Eccleſiæ naturæ vires tranſcendat, à ſupernaturali virtute ſit inſtituta, & ab illa duntaxat dependeat: De neceſſitate ſequitur, quod quæ fluit à natura poteſtas ciuilis tantum exiſtat, & in ciuili communione, non autem in Eccleſiam. Et ideò *nec Principi, nec populo,natura in Eccleſiam poteſtatem dare poteſt, quam ipſa non habet:*& ea propter quod nec populus, nec Princeps, aut ex ſe,aut à natura poteſtatem habet in Eccleſiam.

QVOD ſi dicatur, quod licet nec per ſe, nec à natura poteſtatem habeant in Eccleſiam, illam habent nihilominus ab alio: Cum ſuperius ſit firmatum, quod nec priuatus, nec Princeps, nec populus, nec natura, in Eccleſiam poteſtatem habeant,ſupereſt vt neceſſario illã habeat qui habet, aut à Chriſto, aut à Petro, aut ab illius ſucceſſoribus.Et cum non habere illam à Chriſto, vt eſt ſupra dictum de Deo,ex eo pateat,quod ex ſacris literis id non habeatur, ſequitur illam habere aut à Petro,aut à ſucceſſoribus: Ex quo quatuor conſequuntur.

VNVM, quod poteſtas illa Eccleſiaſtica eſt, & non politica.

ALTERVM, quod quam habet ex indulto illo-

rum

rum potestatem, ea penitus dependet à Petro, & illius successoribus: & quod ideò iure beneficij, & Petro est, & successoribus subdita: nec quoquomodo exerceri potest in illos.

Tertium, quod qui illam ex indulto prætendit, indultum probare debet: *asserenti enim probandi onus incumbit.*

Postremum, quod ratione abusus illa iustè reuocari,[1] & auferri potest.

At si instetur, quod licet Princeps nec per se, nec à populo, nec à natura in Ecclesiam habeat potestatem, illam habeat nihilominus aut à consuetudine, aut à præscriptione.

Respondetur, quod cum consuetudo nil aliud sit, quam tacitus consensus populi, & sit probatum supra quod populi cõsensus expressus nullas habeat in Ecclesiam vires, apparet certè à fortiori, quod multo minores vires habet consensus illius tacitus: *Ne maioris virtutis sit tacitum, quam expressum:* & quod ideò potestas in Ecclesiam dari à consuetudine minimè potest.

Praescriptio verò, cùm vim omnem habeat à lege, & lex omnis, præscriptionem auctorans, lata sit ab homine, & is circa Ecclesiæ potestatem nihil possit, vt est dictũ, *Certè non plus ipsa dare potest, quam ipsi homines, qui legi dant vim, & auctoritatem.* Præterea, cum nec in Principe, nec in populo dari possit, in ipsa præscriptione, bona fides, *Sine qua etiam ex hominis lege non præscribitur,*[2] sequitur & necessario, quod potestas Ecclesiæ præscribi non possit. *Res enim sacra est, & non præs-*

1 c. dilecti filij. extra de priuil. c. priuilegium, 11. q. 3.

2 c. 2. de reg. Iur. in 6. textus, & ibi latè annotata, in c. si diligenti de præscriptio.

criptibilis,[1] & bona fides ideò in ipsa dari non potest.

1 §. nullius autẽ instit. de rerũ diuisio. l. inter stipulantẽ. §. sacram. ff. de verbo. obligat. l. quod nullius. ff. de reg. Iur.

PRIVATVS igitur, populus, Princeps, natura, aut nullam habent in Ecclesiam potestatem, aut qui habet, habet à successoribus Petri: *Et est ideò eius potestas subdita illis.* Vnica vtique est potestas Ecclesiæ, & ea residet concessione Christi facta in Petro, in solo summo Pontifice; aut participatione in illo, cui illius partem cõcedere summo Pontifici, pro tempore, placuit.

AT quoniam aliquid prætendunt à libertate Ecclesiæ Gallicanæ, sciri debet, an hæc libertas à summo Pontifice prouenerit, an à se illam habeat Ecclesia Gallicana. *Si à summi Pontificis priuilegio venit, non potest profectò in præiudicium illius supremæ potestatis verti.* Si verò dicit habere à se, omissis perquisitionibus, id esse non potest, nisi Gallicana Ecclesia diuersa sit ab Ecclesia Catholica: *& nisi velit schismatica haberi: cum duas esse Ecclesias aduersetur institutioni Christi,* qui vnicam duntaxat erexit, & illam vnico Pastori commisit.

ET vnam ideò sanctam, Catholicã, & Apostolicam, Ecclesiam credi, confiteri, & coli, symbolico Canone, sanxerunt Apostoli, decréuerunt Consilia œcumenica, censuerunt sacri Canones, ac leges Imperatorum: vnicam declarauit sanctorum Patrum assertio, & à Christo passo perennis conseusus omnium seculorum. *Et à Clodoueo Magno, vnicam, & incorruptam, amplexa est, & conseruauit ad hanc vsque nostram ætatem Francia:* in qua, Caluiniani, inuecta hæresi, & scissa vnitate, illam

deforma

deformarunt, & ex ea Catholicam Religionem pellere, per annos iam triginta, & dolo, & vi, impiè sunt conati.

ECCLESIAM ipsam cōdidit Christus Iesus, & vt ab vnitate flueret, ædificauit illam, ipsomet teste, [1] *super Petrum:* & vt quos in illa sibi pater dederat ij vnum essent, perinde vt ipse cum patre vnum erat, sub passionis suæ tempus, *patrem orauit.* Atque in ea vinciens, confessione fidei, & charactere baptismatis, Clericos & laïcos, Principes & priuatos, bonos & malos, ac omnis sexus, & ex omnibus nationibus, & linguis, fidei retinentes vnitatem, *formauit Dei ciuitatem, Regnum Dei, Regale sacerdotium, Rempublicam Christianam.*

1 Matth. cap. 26.

HANC verò Ecclesiam & Rempublicam, omnium optimam cum erexisset, vt etiam omnium optimo regimine gubernaretur, *ipse viuens per se, sub lacte instituit:* & sciens illam, multa fæcūditate, vniuersum orbem, iam iam occupaturam, ne, dum adulta in terris peregrinaretur, custodis Ducísque defectu, suam scinderet vnitatem & desolaretur, *inuisibili promissa sui præsentia, roborauit:* [2] & iturus ad patrē, ne visibili Pastore careret, ad instar triūphantis Ecclesiæ in qua Deus vnus dominatur & regit, *Vnico Pastori Petro,* & pari ratione in ipso, *suis successoribus, illam commendauit: atque ei, multa cum mole, ab ipso eximij sui amoris trina professione expressa, agnos suos, & suos oues pascere, & fratres confirmare, iniunxit:* [3] Et vt exequi ea posset, ex suprema ea potestate, quam omnem sibi pater dederat, in ipsum & successores, diuina sua sapientia, illam to-

2 Matth. cap. vlt.

3 Ioann. cap. vlt.

tam, quæ pro tam lata ac nobili Republica dirigenda, augenda, & confirmanda erat necessaria, *dum illi cœlorum claues daret, commendaret pascendum gregem, atque ligandi, & soluēdi impartiretur,*
1 Matth. cap. 16. Ioā. cap. vlt. *plenam potestatem,* transtulit:[1] Et ne vnquam ipsius Petri fides deficere posset, *ad patrem preces fudit.*[2]

2 Luc. 22. E T cum ex his alligatis in fasciculū, & succintè relatis, licet immensis, & mysteriorum amplitudine præstantibus, manifestissimè constet, hanc omniū nobilissimam Rempublicam vnicam esse: *Et soli Petro, & in ipso suis successoribus Romanis Pontificibus commēdatam, & ad regendum traditam fuisse; & in Petrum & successores omnem, pro illius regimine, necessariam potestatem fuisse transfusam.* apparet etiā omnib⁹ apertè, quod in illa nullius alterius, quam Petri & successorum vel inest, vel potest inesse aut potestas, aut auctoritas, aut regimē, quod ab illorum concessione non fluat. Diuinus enim fundator illius, ne Imperiorum alteritate, dissidiū oriretur, & in præceps illam traderet, volens illam, absque scissura, perennè durare quovsque cum triumphante vniretur, in indissolubili vnitate eandem concludens, vnicum Pastorem ac Rectorem cum absoluta, & ordinaria potestate, etiam ei dedit. *Vnica igitur est Ecclesia.*

E T *potestas omnis ordinaria in Ecclesiam solius Petri est & successorum, atque etiam ad omnium quorumcūque exclusionem:* Adeò vt ne minimam quidem in eam Princeps quisquis ille sit, suo iure habere, aut prætendere possit.

V E R V M his pro veritate sic stantibus: qua mentis

mentis vertigine moti sint, cuíve spiritui sese crediderint ij pseudo Iudices Parlamentei Cathalaunenses, qui summi Pontificis ipsás Monitoriales literas, libellos esse iniuriosos, scandalosos, diffamatorios, & ad seditionem excitandam, & ad statum Coronæ Franciæ euertendum, tendentes, ausu temerario declararunt, facilè est cognoscere; licet in quot crimina ipsi, ex eo facinore, inciderint, difficile sit, nisi sit impossibile, numerare.

QVANDOQVIDEM a spiritu Satanæ agitati, & impulsi, supremam summi Pastoris potestatem inficiantes, atque scindentes Ecclesiæ Catholicæ vnitatem, in schisma se præcipitauerunt.

ET cum ipsi priuati homines, venales rabulæ, nec vllam habentes in Ecclesiam potestatem, nec legitimam extra Ecclesiam de literis summi Pōtificis, velint nolint, Domini sui supremi, in ipsum acuentes linguas suas, temerè iudicarunt: illas recipi, haberi, legi, illis vti, prohibuerunt, illásque sperni mandarunt, & in pseudo suo prætorio lacerari fecerunt: ita dolosè, infœlices illos, quos subditos habent, in schisma & hæresim, etiam capitis pæna indicta trahere laborantes, impiè spreuerunt Christum Domini, quin & Christū Iesum, & Deum: ipso Christo dicente: *Qui vos spernit, me spernit, & Patrem.*[1] Et clarius luce ideò, se sacrilegos,[2] hæreticos, atheos, & Satanæ seruos, & ministros, esse demonstrarunt.

AT specialius pseudo Arresti capita examinemus.

DECLARANT, primo, *Monitoriales ipsas literas li*

1 Luc ca. 10.

2 c. si quis suadēte, §. cōmitunt, & c. seq. 17. q. 4. l. 1. & 3. c. de crim. sacri. c. qua multo-tiens, de reg. Iur.

ras libellos esse iniuriosos. sed id calumniosè, & falsò: *Cum iniuria ex eo dicta sit, quod non iure fiat, & fiat aut re, aut verbis, iuxta sententiam Labeonis,*[1] *& Vlpiani.* Et summus Pontifex nec manus iniecerit in aliquem, nec vllum in ipsis literis verbũ protulerit, quod summam modestiam, quod pietatem Christianam non redoleat. *Hortatur Clerum, vt qui pro Ecclesia Catholica steterint, perseuerent in ea; qui verò hæreticos & fautores sunt sequuti, deserant illos: & ad id faciendum terminum præfigit: & inobedientes canonum pænas incurrisse declarat.* Quid hic non iure factum notari, quid iniuriosum dici, potest? Pastor propria voce oues vocat, & illas ad illud vocat, ouile, extra quod non est salus: dicendúmne igitur est, illos iniuria affici, qui ad salutem paternè inuitantur? monet illos pænas incurrisse, *cum ex ipsa cum hæreticis coniunctione, ipso iure, illas incurrerint:* potéstne paterna hæc monitio, facta vt ad cor redeant, pœniteant, & saluentur, iniuria censeri? certè nemo dicet, ni id pseudo Iudices, vt calumniose dixerunt, ita falso asserant.

1 *L. ff. de iniur.*

NOBILITATEM Pontifex iisdem de causis, & rationibus iisdem, *ad Catholicam Religionem verè profitendam, & defendẽdam hortatur,* simplici monitione, verbis paternis, grauibus, amicabilibus: dum minari est opus, vix minas innuit, his verbis: *Considerate quæsumus, nobis etiam inuitis, ex officij, & conscientiæ nostræ debito, ne patientia, & lenitas vertatur in culpam, extremam impositum iri necessitatem, ingrauescenti huic morbo acriora adhibẽdi remedia, & loco paternæ benignitatis, qua hactenus Sedes Apostolica*

vsa est,

vsa est, seueri Iudicis personam induendi. Sed absit vt hoc de vobis suspicemur, abhorret animus, & præ dolore commouentur viscera nostra. Hæc sunt formalia Pōtificis verba: quibꝰ quid lenius, quid dulcius, quid amicabilius, ab amantissimo patre proferri, dici, excogitaríve potuisset? ni ipsi calumniosi pseudo-Iudices, ni Satanas cor illorum indurasset, desiderare aliud certè debuissent: & nihilominus id traxerunt ad iniuriam.

PRAETEREA, cum summus Pontifex, supremus Pastor ouilis Christi, *ex iniuncto sibi munere, errantes oues quærere debeat, & ad ouile reducere, debeatq; deperditas perquirere, & omni conamine retrahere ad gregem:*[1] vt super peccatore pœnitentiam agente, in cœlum ad Angelos summum gaudium transmittat, & id debito, & iure suo, facere nitatur Pontifex, certè quòd ob id alicui iniuriam faciat, non nisi ab omne ius, & diuinū, & humanū, ignorantibus decerni, dicíve potest. *Qui enim vtitur iure suo nemini iniuriam facit:*[2] *& quæ potestatis iure à Magistratibus fiunt, ad iniuriarum actionem non pertinent.*[3] Et potest his pseudoiudicibus dici, quod Donato dicebat Diuus Augustinus.[4] *Displicet tibi quòd traheris ad salutem, cum tamen multos nostros ad perniciem traxeris.*

SECVNDO LOCO, *literas scandalosas esse declararunt.* Verum cum scandalum bonis, & probis viris non nisi ex malis & prauis operibus, exēplis, & verbis dari possit: Et summus Pontifex in viam, & ad ouile, oues errantes, & deperditas reducere, atque retrahere, vt bonus Pastor procuret: certè debo

1 Turrianus, pro epist. Pōtif. lib. 3. in procu.
2 c. 2. de cōiug. lepros. c. 1. & ibi gl. in verbo. seruitia, de cōiug. seru. glo. in c. 1. in ver. iniuria, ff. de noui operis nūc. l. de pupillo, §. si qs forte, eo. tit.
3 L. quæ iure potestatis, ff. de iniur.
4 Relatus in c. displicet, 24. q. 4.

de bonis operibus à bonis ſcandalum haberi non poteſt,& ij pſeudo-Iudices,qui ex illis ſcandalum paſſi ſunt,& falſo, & iniuſtè literas illas ſcandaloſas decreuerunt, teſtimoniũ dixerunt contra ſe,& ſeipſos viros malos,iniuſtos Iudices,& ſchiſmaticos atque hæreticos eſſe ſunt clarè, & apertè profeſſi: & oſtenderũt Pontificem verè Chriſti Vicarium eſſe:cũ id Pontifici imponunt,quod Chriſto imponebant Iudæi. *Credentibus enim portus ſalutis Ieſus fuit,dum reprobis Iudæis Petra ſcandali erat.*[1]

1 Turrianus, pro epiſt. Põtif. lib. 3. in proem. Matth. cap. 15.

LITERAS tertiò, declararunt *eſſe libellos diffamatorios:* & forſan ex eo, quod in illis Pontifex rebelles Eccleſię,hæreticos,& fautores hęreticorum nominet ;cum certè vtraque verba infamiam ſonent. & rurſus dum dicit Nauarrum hæreticum & relapſum, quia ab infantia in hæreſi à matre nutritus, maior factus redierit ad Catholicã Eccleſiam: & lapſo aliquo tempore reinciderit in hæreſim, ac Eccleſiam Catholicam perſecutus fuerit ſemper, ac perſequatur.

AT bone Deus,quam docti ſunt Pſeudo iſti Iudices; *ignorantes tamen libellum famoſum illum dici, in quo infamantis nomen reticetur.*[2] Et rurſus ignorãtes, quod is, qui appoſito ſuo nomine in libello aliquem turpitudinis, aut facinoris labe notat, & id, de quo notat ſciri Reipublicæ interſit, *id infamandi gratia dicere non cenſetur, licet alterius contineat infamiã,* ſed deuotionis ſuæ, & ſalutis Reipublicæ ergo moueri ad id dicẽdum, ac laudem maximam, & præmium mereri, Imperatores Valentinianus, & Valens lege ſtatuerunt.[3] *Peccata enim nocen-*

2 L. 1. C. de Famo. libel.

3 d. l. 1. C. de Famoſ. libel.

nocentum nota esse & oportere, & expedire sanxit Iurisconsultus Paulus.[1]

CVM itaque summus Pontifex, cum nominare deberet hæreticos, & fautores hæreticorum, vt illos ab hæresi, istos à fauore hæreticorum, retraheret: cúmque Catholicos ab illorum consortio, & labe cauere debere, monere, ex debito voluerit nec alio nomine indicare illos potuerit, quã indicauit, certè dicendum non est, quòd noua infamia grauare illos voluerit, *qui culpato suo facto, & hæresi infamiam canonũ iam incurrerant:* Sed potius quod non infamare illos, sed monendo, vocandoque ad pœnitentiam, ab hæresi retrahere, & à fauore hæreticis præstãdo amouere, vt reuersi ad Catholicam Ecclesiam, ad famã & honores redintegrẽtur, paternè curare voluerit, est pro veritate censendum.

1 *L. eum qui nocẽtem. ff. de iniur.*

CVM verò de Nauarro dicit, ea refert, quę verè Nauarrus ipse peregit, quæ complent omnes nostrorum temporum historias, quæ lippis nota sunt & tonsoribus, & quorum causa priuatus fuit Regnis omnibus, & Dominiis, atque ab acquirendis declaratus inhabilis; & id tam clarum appareat, tũ ex SIXTI V. Pontificis Bulla, tum actis publicis impressis, & vulgatis, vt nil sub cælo notius dici possit: Et ea non odiosè exprobando, sed recitando necessariò Pontifex referat, vt de eorum grauitate, oues suas paternè admoneat, *vt ab illo, & suis fugiant, caueãtq;, ne & hæresi, & schismatè infectentur,* id quod ipse ex iniuncto sibi onere non omittere districtè tenetur, *ne sua lenitas, & patientia,*

tia, vt ipse dicit,[1] *vertatur in culpam.* Qua sola causa se moueri paterno suo, ac Pastorali nomine prolato, ad Clerum dicit, replicat ad Nobilitatem, & vbique inculcat, summus Pontifex. Id sanè perfricta fronte, & summa cum calumnia, temerarij ij Pseudo-iudices ad infamiæ inferendæ nomen trahere decreuerunt. At Diuus Augustinus,[2] audiatur dicens: *Quando vult Deus concitari potestatem aduersus hæreticos: aduersus schismaticos; aduersus dissipatores Ecclesiæ: aduersus exsufflatores Christi: aduersus blasphematores Christi: blasphemi nō mirentur, quia Deus concitat vt à Sara verberetur Agar: cognoscat se Agar: supponat ceruicem; quæ cum humiliata discederet à domina sua, occurrit ei Angelus & dixit: quid tibi est Agar? ancilla Saræ cum conquesta esset de domina, quid audiuit ab Angelo? Reuertere ad dominam tuā. Ad hoc ergo affligitur vt reuertatur: atque vtinam reuertatur: quia proles eius sicut proles Iacob cum fratribus hæreditatem tenebit. Mirantur autem quia commouentur potestates Christianæ contra dissipatores Ecclesiæ detestandos: si non commouerentur, quomodo redderent rationem de Imperio suo Deo?* hæc Augustinus.

POSTREMO *easdem literas declararunt esse libellos tendentes ad seditionem, & ad euersionem status Coronæ Franciæ.* Sed falsò etiam & calumniose: & nil aliud ex declaratione student, quam incautos populos dolosè decipere, vt in ipsas literas, & summum Pontificem irritati, ipsam hæresim, ipsum schisma amplectantur, in eóque permaneant, seductíque à falsa ipsa declaratione, mentis suæ oculos ad veritatem non dirigant, neque pro veritate

[1] In literis Monitorialib.

[2] Relatus in c. quādo 23. q. 4.

tate agnoſcãt, quod ſummus Põtifex non ſeditionem inducere, non Coronę ſtatum quatere, ſed ab hæreſi liberare, atque reſtaurare Catholicam Religionem, vt ea ad vnionem reducta, quies in Regnum induci, & in eo pax ſtabiliri poſſit: id quod ni hęreſis explodatur, & Catholica Religio redintegretur, fieri minimè poteſt: Nec Coronæ ſtatus ad priſtinum ſplẽdorem reſtitui, vt verè Chriſtianiſſimi Regni ſtatus poſſit dici: nec illuſtre illud Chriſtianiſſimi nomen, quod maiores Principes Francici, pietate, & obſequio Catholicæ Eccleſiæ præſtito, acquiſiuerunt, & ipſi hodierni hæretici, & ſchiſmatici obſcurare, & obliterare pœnitus certant: totis viribus incumbit.

At nonne, dũ Pſeudo iſti Parlamentei reſtaurationem Catholicæ Religionis ſeditionem eſſe edicunt: dum ita confirmare Coronæ ſtatum, vt & nomine, & veritate Chriſtianiſſimus dici, haberíque poſsit, ſtatus euerſionem eſſe cenſent, nonne dico, ſeſe hæreticos, ſeſe ſchiſmaticos, ſeſe eſſe atheos, clarius luce declarant? *Non enim in Regno ſeditionem, ſed hæreſis abolitionem timent: non Coronæ ſtatus euerſionem, ſed illius ad Catholicam Religionem reductionem contremiſcunt.*

Pseudo autem Procurator Regius, dilatans filacterias ſuas, dicit Regnũ Franciæ fuiſſe à ſolo Deo ſtabilitum: in quo non multum abeſt à vero. Deus certè diu illud conſeruauit, *& hiſce noſtris diebus etiam miraculosè conſeruat:* At initium habuit à natura prudentiam hominibus ſuggerente, & ab hominum ipſorum electione & conſenſu: quod videre poterit, ſi conſulat Francorum Annales.

DICIT refugium Romanorum Pontificum ſemper fuiſſe: nec poteſt hoc in dubium reuocari, *Cum Carolus Martellus, Pipinus, & Carolus Magnus, honorabilia multa pietatis officia in Pontifices contulerint.* At ſi is hoc in Pontificis odium non dixiſſet, potuiſſet etiam dicere, *quod Summi Pontifices Zacharias, Stephanus, Adrianus, & Leo gratiſſimo animo illa receperunt:* Quódve largiter etiam ipſi multa, nec mediocria, in Francos Reges cōtulere. Atque quod illorum officiorum non immemor PIVS V. Pontifex ad Carolum IX. contra hæreticos ad ſuos rebelles, auxiliares copias, oportunè tranſmiſit. *Vt etiam* GREGORIVS XIIII. *Max. & Opt. Pōtifex copias auxiliares (& hinc lachrymæ Pſeudo Iudicum, & Procuratoris) & pecunias periclitanti Regno, pio animo, in hæreticos tranſmittit:* & in literis ipſis monitorialibus, & aliis ad Principes, & Proceres Francos, datis: ingenuo, & grato animo, benefica officia à Francis Regibus, in Pontifices collata, memorare non eſt oblitus.

INTERSERIT pſeudo-Procurator aliquid de lege Regni, & ſucceſſionis. Sed ſapientius id tacuiſſet: exiſtimo tamen ipſum fuiſſe oblitum legis ſucceſſionis, *quam plenè Franciæ vltimi ſtatus Bleſis habiti, approbarunt, ſtatuerunt, & confirmarunt iureiurando: qua hæretici, illorúmque fautores à Coronæ ſucceſſione arceantur.*

ADDIT *ſanctum chriſma ad Reges vngendos cælitus fuiſſe demiſſum: non autem veniſſe, aut à Summis Pontificibus, aut ab Epiſcopis:* vt oſtendatur dicit ipſe, quod Regis Franciæ poteſtas è cœlo eſt, & non dependens ab aliquo. Sanctum oleum venit

certè

certè è cœlo : & mirarer hoc pſeudo-Procuratorem faſſum eſſe, ſi ingenuè id fateretur : ſed ipſe muſſitans, dicit id dici ab antiquitate : verum an ipſe id ſic eſſe, credat, habetur pro dubio. At cum chriſma venerit è cœlo, certè non potuit à Pontificibus, aut ab Epiſcopis venire: *venit tamen in manus ſancti Remigij, & non in manus Regum, & à ſucceſſoribus ſancti Remigij, non à Regibus conſeruatur;* vt Reges ab Archiepiſcopis ſancti Remigij ſucceſſoribus vngantur : & ſacro ipſo myſterio demonſtretur, quod licet Francici Regis in politico Regno poteſtas depēdeat media natura à Deo : *debet nihilominus poteſtas illa legitimari ab Eccleſia: & quod ij legitimi Franciæ Reges eſſe nō poſſunt, qui non poſſunt, aut nolunt ſacro illo cœlitus dimiſſo oleo inungi.*

CAVSAM Regum agit, & ſatis inſipidè. *Dicit Chriſtum præcepiſſe reddendū eſſe Cæſari, quod Cæſaris eſt :* & aut ex hoc præcepto nihil dicit, aut vult ex illo inferre, quod Reges & Regum Magiſtratus poteſtatem habent in Eccleſiam, qua illatione nil falſius. Chriſtus vtique antequam Iudæis interrogantibus, an liceret tributum dari Cæſari, reſpondiſſet, fecit ſibi oſtendi numiſma, & cum in eo impreſſa eſſet imago Cæſaris, reſpondit reddendum Cæſari eſſe, quod erat ſuum; nummi enim & tributa corporales res ſunt, & inſtitutæ in Ciuili Republica, quæ ſub protectione, & poteſtate Regum ſunt : & in illa ideò eſt Regibus in ſuis iuribus parendum. At in Eccleſia, & Republica Chriſtiana, quæ ſoli Deo ſubeſt, & illis Paſtoribus, quos illi Chriſtus præpoſuit, *& in qua Cæſares & Reges non ſunt agni nobiliores, & nullam in eam pa-*

testatem habent, certè nec Cæsares, nec Reges, nec eorum Ministri & Magistratus, possunt aliquid statuere, aut iudicare, nisi in conformitate, & executione eorum, quæ sunt statuta, & iudicata à potestate Ecclesiæ. Et hoc est, quod declarauit Christus in sua responsione, ad tollendum omne dubium, dicens: [1] *Reddite quæ sunt Cæsaris Cæsari*, & addens, *& quæ sunt Dei Deo: de quo vltimo non erat interrogatus.*

[1] *Matth. cap. 22. Marc. 12. Luc. 20.*

Instat pseudo-Procurator, & adducit verba Petri, prædicantis suo tempore, [2] *ac præcipientis honorari Reges, etiam quod tunc ethnici essent.* Et vult, credo, dicere ipse Procurator; honorandi sunt Reges, ergo obediendum est illis, statuentibus ac præcipientibus aliquid in Ecclesiam. At mirabilis est ista consequentia. Habemus in quarto præcepto, passim à Christo & Apostolis cõfirmato: *Honora patrem & matrẽ, si vis longæuus esse super terram,* & sequeretur ex illo, & ex consequentia pseudo-Procuratoris, quòd pater & mater potestatem haberent in Ecclesiam, præceptísque eorum in Ecclesiam factis obediendum esset: quod dicere, credo, ipsemet erubesceret.

[2] *Epist. 1. cap. 2.*

Praeterea Petrus in eo loco non agit, vt declaret potestates, aut in Ecclesiam, aut extra Ecclesiam: sed Christianos instruit ad induẽdam, & seruandam modestiam, & humilitatem Christianam, ad ædificationem proximorum, & ad augendam Christianam Rempublicam, & Regnum Dei; & dicit ideò: *Subiecti estote omni humanæ creaturæ propter Deum: siue Regi tanquam præcellenti,* & statim inferiùs: *Omnes honorate, fraternitatem diligite,*

gite, Deum timete, Regem honorificate. Ex quibus verbis, si valeret Pseudo-procuratoris interpretatio, omnes humanæ creaturæ haberent in Ecclesiam potestatem: quisque haberet in alterum Imperium: & nihil esset, nisi summa confusio, & in Ecclesia, & extra eam. At non hæc fuit Petri intentio, sed docendi, vt cuique suum, vt Christus præceperat, humiliter, spontè, fraternè redderetur: *nempe Deo obedientia, cum omni filiali timore: Regibus honor, cum debita reuerentia: aliis omnibus, amoris, & charitatis officia Christiana, cum fraterna dilectione, & pace.*

AC super hoc Ambrosij, & Augustini, sententiam audiamus. Ambo enim dicũt:[1] *Iuliani milites certabant pro defensione Reipublicæ, ei obedientes (nẽpè Iuliano Apostata) sed iussi certare in Christianos, obediebant Regi cœli.* Et ita reddẽtes quod erat Cęsaris Cæsari, & quod Dei Deo obediebant Iuliano, in his, quæ ad ciuilem Rempublicam pertinebant: in his verò quæ ad salutem animæ pertinebant, & ad Ecclesiam, obediebant Deo, non Iuliano: & recusabant ideò Iuliani iussu, pugnare in Christianos.

1 Amb. relatus in c. Iulianus,. Augustin. relatus in c. qui resistit. & in c. Imperatores. 11. q. 3.

AT quàm ridiculum se ostendit, *dum dicit: Nauarrum se semper instrui paratum extitisse:* cum ipsemet Nauarrus suis contrariis protestationibus sæpius factis, & iteratis, & in suæ prætẽsæ Religionis consessibus, *ipsum Pseudo-procuratorem impostorem declaret.*

VT quis sit agnoscatur Pseudo ipse Procurator, minatur finaliter appellationes tãquam ab abusu. Sed rectius dixisset, *abusum appellationum*: & cauit

forsan hoc dicere, quia prætendens aliquod habere priuilegium, & eo abutitur, priuilegio priuatur, vt dictum est, ait enim Alexander tertius quibusdam Archiepiscopis: *Pro certo sciatis quod nos concessa vobis priuilegia decurtabimus, cum Ecclesiæ Romanæ scriptis obuiare minimè timeatis.*

1 c. dilecti filij. de priuil.

SVPEREST videre in quot crimina & Pseudo-Iudices, & Pseudo-Procurator, ex præmissis, inciderint: & licet inciderint in infinita, principaliora nihilominus tantum recensebimus. *Quæ sunt fellonia, lesæ humanæ, & diuinæ Maiestatis*[2] *sacrilegij, schismatis, hæresis, & atheismi*, vt dictorum inspectione clarè videri potest: & non est ideò vlterius hic insistendum.

2 c. fœlicis. de pœnis. in 6. Bulla in Cœna Domini legi consueta. clem. 1. de pœn. c. 1. de schis. in 6. c. 3. extra de hæreticis.

DICTORVM verò criminum pœna est mortis æternæ, ni cõuertantur, & temporalis: quæ qualis sit, præiudicio innuit Parisiensis Senatus, *qui declarauit pratensum Cathalaunense Arrestum nullum, nullius valoris, & latum ab vsurpantibus nomen, titulum, & qualitatem Parlamenti.* Statuit prætensi Arresti copiam lacerari, atque comburi super marmorea petra existente in fine graduum maioris scalæ Palatij. *Vt lacerata & combusta fuit ab executore Iustitiæ, adstãte infinita populi multitudine.*[3] Non deuiando igitur à tanti Senatus Iustissimo Iudicio, pœna ignis plecti debent, & Pseudo-Iudices, & Pseudo-Procurator: ni ad cor redeant.

3 die 8. Iulij 1591.

SI sapiunt igitur, recantabunt Palinodiã, abiurabunt schisma, hæresim, & atheismũ: pœnitentiã agent, *& prostrati ad pedes summi Pontificis, benignitatis illius indulgentiam, & clementiam experientur*, vt fugiant æterni iudicis iram, in extremo Iudicio.

AD



AD CALVMNIAS ET IMPOSTVRAS A PSEVDO PARLAMENTO *Turonensi, ad Catholicæ Religionis perniciem, Populique deceptionem, impiè confictas in Gregorium Papam XIIII. illiusq; monitionis literas, ad Clerum, Principes, Nobiles, & Populos Fraciæ.*

DEFENSIO.



PAVLVS Apostolus Doctor gentium, cum Ananias Princeps Sacerdotum iuberet ipsum percuti, erupit in hæc verba: *Percutiet te Deus, pariès dealbate.*[1] 1 Act. 23.

HISCE verò diebus ij, qui Turonis Parlamentum constituere falsò se iactant, dum GREGORIVS XIIII. summus Pontifex illos ad salutem vocat, proclamāt ipsum, *inimicum pacis, & vnionis Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ, inimicū Regis, & status illius, adhærentem Hispanicæ coniurationi, & fautorem rebellium, & reorum parricidij Regis non ita pridem occisi.*

PAVLVS ab Anania offensus iniustè se percuti iubente, vt de sua iniustitia Ananiam admoneret, dixit: *Percutiet te Deus*, ac si diceret, iniustè me pecuti mandas, sed Deus iustus Iudex, & remunerator, te iustè percutiet: & vt se id dixisse iustè ostenderet, adiunxit, *& sedens iudicas me secundum legem, & contra legem iubes me percuti?* At quia, cùm Ananias sedens iudicaret, ratione loci iustus foris existimari poterat, cum intus nihilominus iniustus existeret, vt illius internam iniustitiam Paulus notaret addidit: *Paries dealbate*. Paries enim dealbatus foris albus est, intus verò aut niger, aut cinericius est, aut alterius coloris.

FALSI autem isti Parlamentei iudices, ne in minimo quidem, à Pontifice Gregorio offensi, nulla, nec iniusta quidem, causa allata, sugillant illum, impiè lacerant, atque prophanant: sed vt canes latrant ad lunam, & nil, quod candorem Gregorij obnubilare possit in medium promunt.

GREGORIVS vtique Pontifex, ex iniuncto sibi onere, oues errãtes ad ouile Christi reducere laborans, *iure suo vtitur, & ea de causa neminem offendit*, vt est clari iuris.

INIVRIA igitur Pseudo isti iudices in ipsum inuehuntur, etsi etiam suam iustitiam ex canonibus Geneuensium, schismaticorũ legibus, atheorúmve institutis, ducendam esse contenderent. Vt enim licere ipsis putant, postquam Sathanæ se addixerunt, Sathanico more Christi oues disperdere: ita fas est GREGORIO summo Pastori, gregem Christi curæ suæ traditum conseruare, ac errantes, & perditas oues, præcepto Christi, & optimo

optimo iure ad caulam retrahere.

Pavlvs monitus ab astantibus Ananiam esse Principem Sacerdotum, innocentiam suam ex facti ignoratione deducit, dicens: *Nesciebam fratres, quia Princeps est Sacerdotum.* Quódque id verè ignoraret, suadet allatis verbis legis, inquiens, scio legem esse, *Principi populi tui non maledices.* Ita profitens, quod si illum Principem Sacerdotum sciuisset, ne legem offenderet, minimè illa verba in ipsum protulisset.

At Pseudo isti Parlamentei moneri ne possunt vt ex ignorantia se excussent? certè nequaquam: agnoscit enim vniuersus Christianus orbis Gregorivm XIIII. summum esse Pontificem, Petri successorem, Christi in terris Vicarium, atque vnicum illius gregis vniuersalem Pastorem: & id ipsi in cathedra Iudiciali intrusi, quod omnes sciunt, ignorare, nisi profunda cum prauitate, nec debent, nec possunt. Quin ipsemet se illum Pontificem Maximum scire tacitè ostendunt, dum nec eundem Pontificem esse inficiari audent, nec apertè illum supremum Ecclesiæ Pastorem fateri volunt, sed in suo pseudo Arresto, medio ore, & inuolutè dicunt: Gregoire soy disant Pape XIIII. Ita vt superciliosè ostendant, quod se excusari ex ignorantia minimè paterentur: existimaréntque se affici iniuria, si quod impiè ex instituto egerunt, id ex ignorantia factum esse censeretur.

Qvoniam igitur nulla offensione prouocati, vt Paulus: nec, vt Paulus, ex ignoratione moti; superest, vt *prauitate Sathanica, peruersa voluntate,*

& deprauata synderesi, in summum Pontificem disrumpantur licet, supremũ iudicem, & Dominum suum, iniustè erumpant in blasphemias, & spernãt Christi in terris Vicarium, Christum ipsum, & Deũ patrem: nec excusari aliqua ratione possunt, neque ex his literis, quas interinari, & registrari mandant, etiamsi illius sint, quẽ contra diuinam, atque humanã legem, Regem agnoscunt: *nam cum de animarum salute agitur, Deo obediendum est non hominibus.* Ex quo hoc vnum sequitur, quod suismet imposturis *se sacrilegos, schismaticos, hæreticos, & atheos esse,* luce clarius, fatentur, demonstrant, profitentur. Verũ attentiùs, & specialius imposturas Sathanicas ipsorũ, & impias blasphemias, põderem⁹.

DICVNT itaque illum, *inimicum pacis, & vnionis Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ:* inimicum nempè ipsius Ecclesiæ, cuius pacem, & vnionem, aut incuria, aut dolo, negligit. Et ideò vt appareat: An ipsi veritate nitantur an dolosè imponant, est in primis videndum: Quid summus Pontifex in suis monitorialibus literis scripserit (quarum literarum publicatione inuehendi in Pontificem ansam arripuerint.) Quis sit inimicus. Quid sit vnio. Quid pax.

SVMMVS Pontifex, cùm ad onus Pastorale assumptus, certissimè accepisset Nauarrum hæreticum gregem Christi in Galliis, totis viribus, & malis artibus, persequi, & disperdere: partem magnam Cleri Galliarum, & Nobilitatis copiosam multitudinem, se Catholicam profitentem, Nauarro ipsi, opibus, viribus; & armis adsistere, sui muneris esse duxit à lupo tutari gregem suum: &

suis

ſuis literis, in primis, & Clerum, & Nobilitatem, officij monere,& requirere:binas igitur trāſmiſit, in forma Bullæ, literas, ad Clerum vnas, ad Principes,& Nobilitatem alteras.

CLERI partem illam,quæ ſtat pro Catholicis *laudat; & ad perſeuerantiam hortatur.* Partem verò, quæ Nauarro fauet,*vt illum deſerat,& ad Eccleſiam redeat monet,præfigit terminum,*& *contumaces in canonum pœnas incidiſſe declarat.*

PRINCIPES & Nobilitatem,lenibus verbis, paternè,& amicè,ad idem hortatur, abſtinet à declaratione, *& animi ſui dolorem, & anxietatem, profert, quibus afficeretur, ſi ex officij debito, in ipſos decernere durius aliquid cogeretur.*

INIMICVS ille eſt,[1] qui ab aliquo offenſus eſt,aut timet ab eo offendi:& ideò illi male optat, & tempus vlciſcendi expectat. *1 Cice. 4. Tuſcula.*

VNIO, eſt duorum,vel plurium,in idem voluntatis propenſio,& declaratio. *Immo duorum vel plurium,vt ſacræ literæ loquuntur,cor vnũ,& anima vna.*[2] *2 Act. 4.*

PAX verò,vt Leo X.ait:[3] *eſt vinculum charitatis, & ſpiritualis virtus, qua ſaluamur.* *3 In Concordatis. in rub. de conſtit.*

AT duplex eſt pax; altera, de qua diximus, ſpiritualis,altera mundi:*Illa pax Chriſti eſt,hæc Sathanæ.* Quæ licet vtraque pax, eodem nomine, pax dicatur, non vna tamen & eadem eſt pax, ſed ſunt inter ſe diſſitæ pœnitus, & adeò,vt pax Chriſti ita contraria ſit paci Sathanæ, *vt qui illam habet, hanc habere nequaquam poſſit: quia vbi eſt Chriſtus,ibi diabolus eſſe non poteſt.*

CHRISTI verò pax, *eſt libera tranquillitas,*illáque eſt, quæ dum tranquillam hominum ſocietatem

tatem tutatur, non aduersatur legi Dei. Pacē enim hanc non homo largitur, sed Deus. Christus vtique de cœlo in carnem descendens illam adtulit, *concinentibus Angelis*, [1] *in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Et eādem in cœlum reuersurus reliquit Ecclesiæ: *Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis* [2].

1 *Luc. 2.*
2 *Io. 14.*

PAX autem Sathanæ, quæ & mundi dicitur, *est prauorum, & impiorum hominum ad explenda scelera consensus, atque concordia.*

RVRSVS duplex est pax, interna, & externa. Interna verò est triplex, Monastica, œconomica, & politica. Quæ omissis aliis, *est imperandi, atque obediendi ciuium ordinata concordia.* [3]

EXTERNA verò, *est eorum concordia, qui dissiti proprio iure viuunt, nulla necessitudinis lege coniuncti,* vt hominis ad hominem: Reipublicæ ad Rempublicam. Nunc ad rem.

3 *Augu. de Ciuit. Dei. lib. 19. c. 13. Brun. de seditios. li. 3. c. 2.*

PRAE omnibus quæro ab Pseudo istis Iudicibus, *quoniam incertorum criminum accusationes leges* [4] *respuunt*, vt ipsi ad indiuidua descendant, & clarè promant quid fecerit GREGORIVS Pontifex, quídve dixerit, quo aut se inimicum pacis, & vnionis, Catholicæ Ecclesiæ declarauerit, aut inimici in illam animi signū dederit? profectò scio quod quid dicant non habent. Quandoquidem si ipse summus Pastor suum gregem conseruare procurat, sique errantes ab illo oues retrahere ad illum, vt dictum est, quærit, *cum id ex iniuncto sibi Pastorali onere curet, certè neminem offendit: & multo minus suam ipsam Ecclesiam quam sartam tectam, & vnitam, custodire laborat.* Non igitur inimicum, sed benefactorem,

4 *L. libellorum. ff. de accus. l. prætor edixit. in princ. ff. de iniur.*

factorem, & Pastorem vigilantissimum, se illius ostendit,& patrem.

SVA autem Ecclesia non solum illum non offendit, vtve offendi timeat signum vllum dedit, sed illum etiam, *Duce Spiritu sancto*, in patrem, caput, & Dominum, libenti animo, & summa cum filiali reuerentia, assumpsit.

ET cum ideò *ipse gregem custodire, errantes oues ad gregem reducere, & vt vnum omnes sapiant, quærãt, & amplectantur, enixè curet*, certè non illius vnionem, vt inimicus destruere, sed illam conseruare, protegere, & restaurare, totis viribus, constanti animo,& ardenti desiderio, desudat.

AT cùm GREGORIVS *sit mystici corporis Catholicæ Ecclesiæ vnicum in terris caput*, certè aut supinè ignorant, aut potius dolosè ad populos decipiendos blasphemant schismatici isti Turonēses, dum esse posse, aut credunt, aut persuadere id student ignorantibus, & simplicibus iis, quos subditos, vsurpata iurisdictione habent, quod GREGORIVS Pontifex aut Ecclesiæ Catholicæ, aut vnionis illius, *sine qua cōseruari Ecclesia ipsa minimè potest*, possit, refragrante natura, ipsemet scissor,& destructor existere. *Sui enim conseruationis amor,& desiderium, insitum est omnibus à natura.*

AD postremum venio, & quæro à vobis, Catholicæ Ecclesiæ pacifici turbatores. Secundum quam pacem dicitis summum Pontificem GREGORIVM esse inimicum?

SCIO non respondebitis secundum pacem, quæ vinculum est charitatis, & quam Christus Ecclesiæ reliquit: quia *cùm sitis extra Ecclesiam, nec*

illam

illam habere, neque desiderare quidem, nisi redieritis ad Ecclesiam potestis.

NEQVE secundum pacem illam externam, quæ est in Republica, & Imperandi, & obediendi concordia inter ciues splendet. *Quia vos Capitis, & Pastoris vestri* GREGORII XIIII. *Imperium refugitis, ac obedientiam Christianam illi præstare pernegatis.*

GREGORIVS vtique non Dominico Imperio, sed paterno affectu vos monet, *vt hæresim vitetis, & ab hæretico recedatis, vt vos salutẽ cõsequi possitis, & Catholicam Dei Ecclesiam non scindatis:* vos ea de causa, in GREGORIVM blasphemias cõgeritis, refugitis bene mori, & Ecclesiam Dei turbatis, & diuiditis: *vos igitur, non* GREGORIVS, *inimici estis vnionis Catholicorum, pacis Christi, & Ecclesiæ Catholicæ, Apostolicæ, & Romanæ.*

AT si dicitis (hoc vnũ enim vt dicatis superest) de ea pace loquimur, quæ nulla arctatur necessitudine, sed in ea, qui dissiti proprio iure viuunt, libera voluntate, concordant. Vos habeo: remisistis iam Ecclesiæ Catholicæ nuncium, ab illius legibus vos esse liberos profitemini, & vultis vt summus Põtifex vos in Ecclesiæ vnionem, vestris tamen legibus, recipiat. *Nempe vt vos aut hæretici, aut athei sitis*, & Catholici si volunt Catholicè viuant, quia de hoc nil ad vos, dummodo pacem hanc habeatis.

AT pacifici turbatores, nónne agnoscitis hanc pacem diaboli esse, quæ nec inter bonos esse potest, nec inter bonos iniri, sed inter illos, quos sapiens sic loquentes inducit: [1] *Insidiemur sanguini, abscon*

1 Prov. 1.

abscondamus tendiculas contra insontem frustra: deglutiamus eum, sicut infernus viuentem, & integrum quasi descendentem in lacum: omnem pretiosam substantiam reperiemus, implebimus domos nostras spoliis. sortē mitte nobiscum, Marsupium vnum sit omnium nostrum. Et rursus: [1] *Opprimamus pauperem iustum, & non parcamus viduæ, nec veterano, nec reuereamur canos multi temporis. sit fortitudo nostra lex iniustitiæ. Quod enim infirmum est, inutile inuenitur: circumueniamus ergo iustum, quoniam inutilis est nobis, & contrarius est operibus nostris.* Quis dubitat vos ægerrimè pati, quod GREGORIVS Pontifex frui vos non permittat hac pace, vt quemadmodum nunc vi quæritis Catholicam Ecclesiam, & Catholicos opprimere, ita habita illa pace, dolis & machinationibus possitis, & Catholicos circumuenire, & destruere Catholicam Ecclesiā: non ignoratis enim *hæresim pestē esse, quæ sola contagione infectat animā, & occidit.* 1 *Sap. 2.*

SECVNDVM hanc pacem, atque vnionem, *quæ melius dicerentur proditio & confusio*, verè inimicus est summus Pontifex GREGORIVS; qui licet illarum, vestræque hæresis inimicus sit: nō tamen est vester inimicus, cùm vos paternè admonet, *vt hæresim abiuretis, recedatis ab hæretico, & ad Ecclesiam Catholicam redeuntes, vnitatis & pacis Catholicæ Ecclesiæ gaudium, cum Angelis Dei, & vberrimos pacis Christi fructus sentiatis.*

PAX enim, quam amplectitur, & vobis offert GREGORIVS, teste Aug. [2] *Est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, amoris vinculū, cōsortium charitatis. hæc simultates tollit, bella cōpescit, cōprimit iras, superbos calcat, humiles amat, discordes sedat,* 2 *Ex Augustino, Brunus, li. 3. c. 2.*

inimicos

inimicos concordat, cunctis est placita, non quærit alienum, nihil deputat suum, docet amare quæ odisse non nouit, nescit extolli, nescit inflari. Hanc ergo qui accepit teneat, qui perdidit repetat, qui amisit exquirat: quoniam qui in eadem non fuerit inuentus, abdicatur à Patre, exhæredatur à Filio, & à Spiritu sancto alienus efficitur.

ET si secundum hanc pacem dicitis inimicum esse GREGORIVM Pontificem. Vos pudeat, rogo, vel inscitiæ, vel temeritatis vestræ: & ab Augustino moniti, redite ad Ecclesiam Catholicam, & illam amplectimini, quia illam Sathanæ, quam cupitis à GREGORIO nunquam habebitis. *Non enim pastor esse potest, & illam vobis cõcedere.* Qua de re id testantem Augustinum audiatis: *Qui pacem suscipit Saluatoris, inimicitiam contrahit mũdi: nisi enim discordauerit cum diabolo, pacem non habebit cum Christo: nemo enim potest duobus dominis seruire. Hic ergo à mũdo discordat, qui legẽ Dei fideliter seruat.* Et iterum idẽ Augustinus: *Non potest cum Christo concordiam habere, qui discolor voluerit esse cum Christiano: contumaciæ ergo crimen est, quod iubetur contemnere, quod præcipitur nolle, quod imparatũ est declinare.* Et statim: *Quare aut Christi charitatem amplectere Christiane, aut discordiæ Auctori, de similitudine operum, parem te esse cognosce.*

VOBIS loquitur Augustinus, schismatici Turonenses; & ipsum ideò audite: Quoniam si indurati in malo permanseritis, GREGORIVS summus Pastor gregis Christi, *immaculatam suam Ecclesiam cum perdita synagoga vestra nũquam miscebit,* nec habebit cum ea pacem, cùm qua pacem habere

bere non potest; nisi prius pacem Christi abiurauerit.

Dicunt secundo loco, Pontificem *inimicum esse Regis, & status illius*: & à veritate protracti id dicũt, quod possibile est, minus dicere voluissent. Nam licet Gallicæ linguæ vsus latius extenderit significatum verbi, *inimici*, nihilominus *id verbum, de sui proprietate, duntaxat priuatum inimicum designat,*[1] *vt verba, hostis, & perduellis, designant publicũ:* & ea propter iuxta verba istorũ pseudo-Iudicum, Nicolaus Sfondratus, qui est summus Pontifex, inimicus priuatus est Henrici Borbonij priuati. Et ex duobus alterum necessario inde sequitur: nempe, aut quod Pseudo isti Parlamentei abusiuè dicant Gregorivm esse Henrici inimicum, aut quod ipsi neque Gregorivm pro Pontifice, neque Henricum pro Rege, habeant. De Gregorio dubitare satis innuunt; dum illum non fatentur Pontificem, sed crassa cum prauitate id balbutiunt, dicentes: Gregoire soy disant Pape XIIII. licet de Nauarro nimis verum profiteantur. Nec enim Nauarrus Rex est, nec dignitatem aliquam in Ecclesiæ orbe aut habet, ant habere potest, sed est pœnitus priuatus homo, & extra Ecclesiam, vt statim dicetur. Et cùm Nauarrus neque Rex sit, nec esse possit, falsò dicunt Pontificem inimicum esse Regis, si sub Regis nomine Henricũ intelligant: vt falsò etiam dicunt inimicum esse status illius, cum ille nec Regnum, nec statum vllum legitimum habeat, quamuis multa tyrannicè, & per vim occupet.

[1] *Cicero de finib. li. 5. l. hostes. ff. de captiu.*

Verum quomodocumque verbum illud, ini-

micus, intelligant, vel ſupinè allucinantur, vel prauè ſatagunt alios in errorem inducere. GREGORIVS vtique Pontifex minimè eſt Nauarræ inimicus. *Inimicus enim, vt eſt ſuprà dictum, alicui ille eſt, qui ob inflictam in ipſum offenſionem, aut ſub timore expectatam, vltionis tempus attendit.* Sed GREGORIVS, Henricúſque ſemper fuerunt, tum credendi diuerſitate, tum lato terræ ſpatio, inter ſe adeò diſſiti, vt non ſolum veriſimile ſit nullam potuiſſe cauſam interuenire, qua in priuatas inimicitias venire potuiſſent, ſed multo veriſimilius ſit, quod nunquam ſe nouerint, nũquámve aliquid acciderit, quo ad inuicem potuerint, in offenſionem, in odium, & inimicitias priuatas deuenire: vt GREGORIVS ſit illius, ſtatúſque illius inimicus; qualiſcumque ſit illius ſtatus.

NEC vt Pontifex eſt, Caput, & Paſtor ſupremus Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ, *illámque repræſentat,* inimicus eſt Henrici, qui Princeps eſt, protector, & ſummus Dux hæreticorum in Francia, nec ipſorummet hæreticorum, adhærentiúmque & fautorum illorum, non illos Pontifex odit, non vindictam proſequitur, non tempus offenſionis attendit: *Sed vt ad cor redeant, conuertantur, & ad peragendam pœnitentiam, & veniã conſequendam, ad gremium Eccleſiæ reuertantur, optat, id hortatur, id iubet.* Quam ob rem vomant prius venenum, quo ſunt infecti pſeudo-Parlamentei Turonenſes, ſedent rabiem, qua furorem ſpirant, & ſi fieri poteſt inde ſedatè perlegant monitoriales ſummi Pontificis GREGORII literas, vt ex illis doceantur *nihil in eis inueniri poſſe, quod Paſtoralem curam, pa-*

ternam

ternam dilectionem, & Christianam charitatem, non redoleat, atque fragret. Meditentur illas, quas comburi fecerunt literarum copias, & sentient ex illa flamma in se ardorem excitari, qui ipsorum corda comburẽs, eorum viscera renouabit, adeò, vt etiam ipsos trahat ad salutem: & qui hæc, quæ Pontifex curat, facient, non inimicum, aut priuatum, aut publicum, *sed fidum amicum, amicabilem patrem, & benefactorem eximium, esse agnoscent.*

DICVNT tertio loco, *Pontificem esse fautorem Hispanicæ coniurationis:* quid verò ipsi per Hispanicam coniurationem intelligant, non exprimunt, sed quoniam summus Pontifex & Rex Hispanus adsistunt Francis Catholicis, & illos opibus, & viribus, roborant, *ne ab hæreticis, hæreticorumq; fautoribus atheis, opprimantur, néve Nauarrus relapsus hæreticus Regnum Franciæ inuadat, & Catholicam Religionem extrudat ex vniuersa Europa*, ipsi, qui Nauarro, & hæreticis fauent, siue potius ipsemet sunt hæretici, schismatici, & athei, protectionem, quam summus Pontifex, & Rex Hispanus, Religionis & Catholicorum Franciæ assumpserunt, & sustinent, vt apud miseros populos, quos subditos suæ vsurpatæ Iurisdictioni habent, in summum Pontificem, & Hispanum Regem concitent, dolosè, & impudenter, Hispanicam coniurationem appellant: vafrè quærentes in memoriam hominum reuocare hostilitatẽ, quę ob continuata lõgo tempore bella, inter Francos viguit & Hispanos. At non ignorant ipsi schismatici, licet id dolosè supprimãt, *quod ab inita cum Francis pace, per annos vltra triginta, Rex Hispanus totiens de re Francica be-*

nemeruit, totiens & equitum, & peditũ, & immẽsarum pecuniarũ, Regibus Frãcis, & Frãcis populis Catholicis contra hareticos, & animo adeo libenti, & prompto, auxilia transmisit, vt si hostilitas à condito orbe nata, & alita ad nostram hanc atatem fuisset; iam tamen conuersa, & alta radice stabilita, in amicabilem concordiam, & in indissolubilem Christianã pacem cõsedisset. Non adhæret igitur summus Pontifex Hispanicæ coniurationi: sed, vnà cum Rege Hispano, *protegit vnitos Principes, & populos Catholicos qui se,* Religionémque Catholicam à Nauarri, & hæreticorum inuasionibus, & oppressionibus defendunt.

At me stolidum, quò me schismatici isti, vnico verbo, induxerunt, vt coniurationi fauere GREGORIVM summum Pontificem pernegauerim? *Cum non possit Principibus, & vnitis populis fauere, quin etiam coniurationi faueat:* coniurarunt enim omnes, nec Nauarrum recipere, nec hæreticum quemque, fautorémve hæreticorum, ad Regni Franciæ Coronam: *& in hanc cõiurationem ingressi,* à multo tempore bella plusquam barbara experiuntur, bonorum deprædationem, & ruinam, duras obsidiones: *Parisienses vero tot reiteratas, tam diuturnas, nulla periculi habita ratione, antaq; rerum omnium necessitate, & pœnuria, tali virtute sustinuerunt, vt patientia, constantia, fortitudinis, exempla ad posteros transmittẽda nulla vnquam futura atas, nullus temporis cursus, è mortalium memoria obliterare possint.* Quæ summi Pontificis animum mouerunt maximè, vt illorum coniurationi adhæreret: illámque amplexus protegere, *totis Ecclesia viribus, & vtroque gladio constituerit.* Adhæret itaque, fauétque

GRE

GREGORIVS Pontifex coniurationi, ſed non Hiſpanicæ, cuius nomine, me de via deduxiſtis, atheï Turonenſes, vt Pontificem coniurationi adhærere inficiatus fuerim. *At verè adhæret, fauetq́ GREGORIVS coniurationi, dico, ſed Francicæ, ſed veſtræ, veſtræ inquam coniurationi:* & vos pro teſtibus producam, pſeudo-Iudices, vt veritatis funiculo torti, id fateri inuiti etiam cogamini.

OBLITÍNE eſtis quod *Henricus III. Valeſius, tunc Rex, hæreticos omnes, hæreticorumq́ fautores, à Coronæ Franciæ ſucceſſione, ſancita lege, excluſit, iurauit legem, & ab ipſa Francia, pro illius obſeruatione, iuſiurandum exegit?* Scio non eſtis obliti, ſed prauitate adducti id tegitis: res enim tanti momenti, talis qualitatis, tam breui temporis lapſu, obliuioni tradi minimè poteſt, *ab his præſertim, qui dum tractaretur interfuerunt, & pars non minima fuerunt rei illius:* aut ab his, qui ſcire omnia profitẽtur, timere Deum, & bene facere exceptis. At quod vos occulere dolosè ſatagitis, id ego ante omnium oculos repræſentabo.

HENRICVS itaque III. dum Rothomagi eſſet, edito edicto, talem legem promulgauit, & iurauit, his verbis: *Premierement nous iurons, & renouuellons le ferment par nous faict en noſtre ſacre, de viure, & mourir en la Religiõ Catholique, Apoſtolique, & Romaine, promouuoir l'aduancement & conſeruation d'icelle, & employer de bonne foy toutes nos forces & moyens, ſans eſpargner noſtre propre vie, pour extirper de noſtre Royaume, pays, & terres de noſtre obeyſſance, tous ſchiſmes & hereſies, condãnees par les ſaincts Conciles, & principalement par celuy de Trente, ſans*

ſans faire iamais aucune paix, ou treſue, auec les heretiques, ny aucun Edict en leur faueur.

Vovlons *& ordonnons que tous noz ſubiects, Princes, Seigneurs, tant Eccleſiaſtiques, Gentilshõmes, habitãs des villes & plat pays, qu'autres de quelque qualité & condition qu'ils ſoyent, s'vniſſent, & ioignent en ceſte cauſe auec nous, & facent pareil ſermẽt, d'employer auec nous toutes leurs forces, & moyens, iuſques à leurs propres vies, pour l'extirpation deſdicts heretiques.*

Ivrons *& auſſi promettons de ne les fauoriſer, ny aduancer de noſtre viuant. Ordonnons, & voulons que tous nos ſubiects vnis iurent, & promettent dés à preſent, & pour iamais, apres qu'il aura pleu à Dieu diſpoſer de noſtre vie, ſans nous donner des enfans, de ne receuoir à eſtre Roy, ny preſter obeyſſance à Prince quelconque, qui ſoit heretique, ou fauteur d'hereſie.* Et in fine, *Donné à Roüen au mois de Iuillet, l'an de grace 1588.*

Haec lex ſic Rothomagi emologata in Parlamento, & publicata fuit.

Leu, publié, & regiſtré, ouy, & requerant le Procureur general du Roy, ſuyuant l'Arreſt de ce iour donné, les chambres aſſemblees à Roüen, en Parlement, le 16. Iuillet, 1588. Signé,

De Boislevesqve.

Hanc edictalem legem voluit idem Henricus à ſtatibus Bleſis conuocatis, approbari, iurari, & fundamentalem legem ſtatus fieri: & eam in ſua prima ad ſtatus oratione, die 16. Octobris, 1588. his verbis proponit: *La iuſte crainte, que vous auriez de tomber apres ma mort, ſous la domination d'vn Roy heretique, s'il aduenoit que Dieu nous fortunaſt tant, que de me donner lignee, n'eſt pas plus enracinee dans*

vos

vos cœurs que dans le mien. Et i'atteste deuant Dieu, que ie n'ay pas mon salut plus affecté, que i'ay de vous en oster la crainte, & l'effect. C'est pourquoy i'ay faict quasi principalement mon sainct Edict d'Vniõ, & pour abolir ceste damnable heresie : lequel encores que ie l'aye iuré tres-sainctement, & solemnellement, en lieu, & deuant celuy, qui apporte toute constance à tenir irreuocables les bons & saincts sermens. Ie suis d'aduis, pour le rendre plus stable, que nous en facions vne des Loix fondamentales du Royaume, & qu'à ce prochain iour de mardy, en ce mesme lieu, en ceste mesme & notable assemblee de tous mes Estats, nous la iurons tous, à ce que iamais nul n'en pretende cause d'ignorance.

HANC legem fundamentalem Regni fieri, & in concessu ſtatus vult illam iurari Henricus : vt nullus vnquam illius ignorantiam prætendere poſſit. *Augurabatur vtique non defore, qui illam obliuioni dari vellent, ne ex illius infractione, erga Deum posset, & erga homines periurij reus declarari.*

ADVENIENTE proximiori Martis die, eodem in loco, & conſeſſu ſtatuum, habita à Procancellario ſpecioſa oratione, pro ipſa ſancienda, & iuranda lege, *perlecto Edicto*, concluſit orationẽ ſuam his verbis poſt Regis iuſiurandum.

E T *puis qu'il a pleu à vostre Maiesté, Sire, iurer presentement tout le premier le serment si solemnel, pour exemple à tous vos peuples, nous leuerons tous d'vn commun accord les mains au ciel, & iurerons à Dieu de le seruir, & honorer à iamais, maintenir son Eglise Catholique & Romaine, & la defendre, aussi vostre Maiesté, & vostre Estat, enuers & contre tous ; obseruer, & garder inuiolablement ce qui est contenu en vostre*

Edict d'Vnion, presentement leu à la gloire de Dieu, exaltation de son sainct Nom, & conseruation de son Eglise, & de ce Royaume. Quo dicto, Rex sic fari cœpit.

MESSIEVRS, *vous auez ouy la teneur de mon Edict, & entendu la qualité d'iceluy, & la grandeur & dignité du serment, que vous allez presentement rendre: & puis que ie voy vos iustes desirs, tous conformes au mien, ie iureray, comme ie iure deuant Dieu en bonne & saine conscience, l'obseruation de ce mien Edict, tant que Dieu me donnera la vie ça bas: veux & ordonne qu'il soit obserué à iamais en mon Royaume pour Loy fondamentale: & en tesmoignage perpetuel de la correspondance & consentement vniuersel de tous les Estats de mon Royaume, vous iurerez presentement l'obseruation de ce mien Edict d'Vnion, tous d'vne voix: mettant par les Ecclesiastiques les mains à la poictrine, & tous les autres leuans les mains au ciel.*

QVOD factum fuit magno applausu, & altis lætísque vocibus, ab omnibus acclamatum: VIVE LE ROY.

ITVM fuit inde ab omnibus, vnà cum Rege, & Reginis, ad templum sancti Saluatoris, vbi decantato hymno, Te Deum laudamus, fuit rursus ab omnibus acclamatum: VIVE LE ROY. Mandauítque Rex iusiurandũ ipsum in publicum actum redigi, ad perpetuam memoriam solemnis ipsius actus. Qui sic fuit redactus in scriptis à Ruzeo Regis, & status, Secretario.

AVIOVRD'HVY *dixhuictiesme iour d'Octobre, 1588. le Roy seant à Blois, en pleine assemblee des Estats generaux de son Royaume: a iuré en sa foy & parole de Roy,*

Roy, de tenir & obseruer la presente Loy en tout ce qui depẽdra de sa Majesté, & Messeigneurs les Cardinaux de Bourbon, de Vandosme, Comte de Soissons, Duc de Montpensier, Cardinaux de Guyse, de Lenoncourt, & de Gondy, Duc de Guyse, de Nemours, de Neuers, & de Retz, Monsieur le garde des Seaux de France, & plusieurs autres Seigneurs, tant du Conseil de sa Majesté, que deputez des trois Estats de cediict Royaume, ont iuré de garder & entretenir inuiolablement ladicte Loy, tant en leurs noms propres & priuez, que pour l'Estat, & les Prouinces, qui les ont deputez pour se trouuer en ceste assemblee generale des Estats. Moy Ruzé, Secretaire d'Estat, & des commandemens de sadicte Majesté present.

HANC eandem edictalem legem, per patentes suas declaratorias literas mandauit Henricus in vniuerso Regno, pro fundamentali lege Regni recipi, & obseruari, his verbis, post satis longam præfationem.

NOVS *auons, par le conseil de la Royne nostre treshonoree Dame & mere, des Princes de nostre sang, Cardinaux, & autres Princes & Seigneurs de nostre conseil, & l'aduis & consentement des gens de nos trois Estats, assemblez & conuoquez par nostre commandement, en ceste ville de Blois, statué & ordonné, statuons & ordonnons, & nous plaist par ces presentes, signees de nostre propre main, que nostredict Edict d'Vnion cy attaché sous le contreseel de nostre Chancellerie, soit & demeure à iamais Loy fondamentale, & irreuocable, de ce Royaume.* Et post aliqua: *Si donnons en mandement par ces presentes, à nos amez & feaux les gens tenans nos Cours de Parlement, Baillifs, & Seneschaux, ou leurs Lieute-*

cum nomen, quod vos obſcuratis, ad priſtinum *tenans, & à tous nos autres Iuges, & Officiers, & à chacun d'eux ainſi comme il luy appartiendra, que ledict Edict cy attaché auec la prenſente Loy, ainſi ſolemnellement faicte, & arreſtee en l'aſſemblee generale de noz Eſtats, ils facent lire, enregiſtrer, entretenir, garder, & obſeruer inuiolablemen t, comme Loy fondamentale, & perpetuelle de noſtre Royaume, & conſeruation d'iceluy.* Et poſt pauca: *Donné à Blois en l'aſſemblee des Eſtats, au mois d'Octobre, l'an de grace 1588.*

Signé, HENRY.

EADEM hæc lex emologata fuit à Pariſienſi Senatu: *Vbi tunc proborum Iudicum locum occupabatis athei Turonenſes.* Et eſt talis publicationis actus.

Leuës, publiees, & enregiſtrees, ouy, & requerant le Procureur general du Roy, & en ſeront enuoyees copies collationnees par les Bailliages, & Seneſchaucees de ce reſſort, pour y eſtre publiees: & eſt enioint aux ſubſtituts dudict Procureur general de tenir la main à la publication & execution. A Paris, en Parlement, le 21. Nouembre, 1588. Signé, DV-TILLET.

HAEC vera eſt illa coniuratio, quam Henricus III. Valeſius primus auctor illius, primus iurauit, quã iurarunt ſtatus generales vniuerſam Frãciam repræſentantes, in cuius concluſione ſemel & iterum decãtatus fuit hymnus, Te Deum laudamus: *quam vos emologaſtis, iuraſtis, & ab aliis iurari mandaſtis, ſchiſmatici pſeudo-Iudices,* qui ſpretis, iureiurando, Dei Majeſtate periurij vindice, & vltrice; illam deriliquiſtis, & ex ea ad hæreticos, hæreticorúmque fautores transfugiſtis: Atque illum in thronum Regium imponere laboratis, quem nunquam

quam in Regem recipere tam sanctè iurastis; & vt eundem Regẽ habeatis, impiè Dei majestate contempta, omni contentione laboratis. Hęc certè est illa coniuratio, cui summus Pótifex, cui Rex Hispanus, adhærent, fauent, & adsistunt: & ideò vos illam Hispanicam dicitis: *sed falsò, quia ea vestra est, Francica, & Catholica; & vos, qui illam abiurastis, non amplius estis Franci, nec Catholici.*

PERGITIS dicere, athei Turonenses, Pontificem GREGORIVM *fautorem esse rebelliũ, & reorum parricidij Regis non ita pridem occisi.* Idq; falsò, & dolosè. Nam cum rebelles illi sint, *qui cùm sint subditi, a suis dominis deficiũt;*[1] certè vniti Principes, Proceres, & populi, qui nunquam Nauarrum pro Domino agnouerunt, nunquã illi subditi fuerunt, quinimò qui illum nunquã in Regem recipere, vt vos athei, iurauerũt, nulla ratione possunt rebelles dici, nec ab eo potuisse deficere, credẽdi sunt, cum quo nunquam steterunt: imò verò à quo maximè disiuncti esse debebant: *Ne Deo, Ecclesiæ Catholicæ, & regno rebellarẽt: & illis essent, vt vos rebelles. Vos vos, non alij, rebelles estis Ecclesiæ Catholicæ, Regni, Coronæ, & patriæ, quæ vos recepit ad immeritos honores, iniustos, periuros, & atheos, multa cum patientia, sustinuit. Verè vos estis rebelles, qui desiuistis à vera religione, ab vnitate Catholica, à patria charitate, & ad hæreticos, & Catholicæ Ecclesiæ professos hostes, transfugistis:* & audetis nihilominus illos rebelles dicere, qui Regnum, quod vos destruitis, conseruare laborant, Religionem Catholicam, quam vos ad nihilum redigere insudatis, ad mortem vsque defendunt, & conseruant, ac Christianissimum Francicum

1 *Bru. de seditio. li. 1. cap. 1.*

ſplendorem illuſtrem euehere, reſtituere, & conſeruare, nituntur.

At dicitis, ſentio, *rei nihilominus ſunt parricidij Henrici Regis*: ſed hoc ſi tacuiſſetis, egiſſetis profectò ſapientius. Effudit enim Henricus ſacrati Pontificis ſanguinem, qui erat ſucceſſor Apoſtolorum, & primarius inter principaliora membra Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ ſanctæ Romanæ Sedis. Ipſius verò Henrici ſanguis effuſus eſt ab homine dicato religioni, & in Eccleſia Catholica inter humiliores infimum locum tenente, & ante Henricum vita functo, *quæ ſine numine facta vix dici poſſunt*. Et ideò, ſi quid ſapitis, ne ea amplius refricetis, ſed permittite quieſcere manes illius, quem viuentem veſtrates perpetua vexatione exagitarunt.

Verum, vos nihilominus perſiſtitis impudenter dicere, ſummum Pontificem, qui eſt Catholicorum protectionem amplexus, rebellibus fauere, & parricidis, nec aduertitis vos id dicere, quod falſum eſt, & impoſſibile. *Non enim fautor rebellionis, & parricidij, dari poteſt, niſi prius rebellio detur, & parricidium.* At vos ideò id effutitis, vt mendaciis, & his impoſturis, illi parti nobilitatis, quam infatuaſtis, & his infœlicibus populis, quos iniuſta iuriſdictione veſtra opprimitis, imponatis, & intellectus illis oculos penitus eruatis, atque ſummi Pontificis nomen odioſum, & auctoritatem eius, apud illos, contemptibilem, reddatis; vt vocem ſui Paſtoris non audiant, nec deſerant veſtram ſynagogam: in hoc veſtri Principis Sathanæ veſtigia ſequentes, qui nunquam orbem circuire

circuire cessat, vt diuidat, & dissipet Ecclesiam Catholicam: agnoscetis tamen, durum esse contra stimulum calcitrare. *Orauit vtique pro Petri fide, & Ecclesia Christus: & illam ne deficiat conseruabit, etiam inuitis vobis, & vos, nisi ad illam redeatis, cum imposturis, & impietatibus vestris, schismatici pseudo-Iudices, perdet, & dissipabit.*

QVANDOQVIDEM, contrario ordine, est his responsum, quæ vos pseudo-Iudices, contra personam Pontificis, secundo loco, blasphemastis; superest, vt his respōdeatur, quæ vos, primo loco, contra eius monitoriales literas, effutiistis. Dicitis itaque *literas esse, Nullas, Seditiosas, Plenas fallaciarum, & impietatum, atque contrarias, sanctorum Decretorum, iurium, immunitatum, ac libertatum, Ecclesiæ Gallicanæ.*

MONITIO, vt actus quilibet, tunc nullitate notari potest, cum aut ab eo fit, qui monendi potestatem non habet, aut ea in se continet expressum iuris errorem.[1]

SED aut Christus Iesus gregi suo de Pastore non prouidit, vel Pastori non dedit gregis sui pascendi necessariam potestatem, aut gregi Pastorem, & potestatem Pastori dedit: At nephas est primum dicere, nec ipsi schismatici id dicere audebunt: *Reliquit igitur Christus gregi Pastorem, & Pastori potestatem necessariam.* Sed ne tergiuersari possitis.

QVÒD Pastorem, & Pastorem Petrum reliquerit, testantur ipsius Christi verba, apud Matthæum:[2] *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum:*

& quod

1 *L. si expressis. & ibi Bart. ff. de appellat.*

2 *cap. 16.*

1 cap. vlt. *quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis.* Et apud Ioannem: [1] *Pasce agnos, pasce oues meas: & id post trinam exactam à Petro eximij sui amo-*
2 cap. 22. *ris professionem.* Et rursus, illa apud Lucam: [2] *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.*

QVAE omnia non solum constitutionem Pastoris, & Vicarij sui, sed etiam attributionem potestatis testantur. *Ille vtique cui iniunctum est pascere oues, est certè ouium Pastor constitutus.* Sed Pastoris munus est, oues in caulis includere, custodire, cibariáque ibi necessitatis tempore parare, suo tempore ad pascua ducere, atque reducere, ne pascua infecta sint diligenti cura animaduertere, ne lupi eas deuorent, latronésve furentur, Abigei ne abigant, si aliqua aberrat retrahere, non adductas adducere, si quæ perdita est, eam quærere, si in morbum incidat curare, vt ad sanitatem reducatur, separare interim ab aliis, & quas penitus morbidas videt, extra gregem expellere: *Quæ pro arbitrio Pastores facere, vidit omnis ætas: habent igitur, Pastorali lege, ea faciendi Pastores potestatem.*

3 Apud sãderum de visibi. monarch. sub aum, 1580.

AT si cum Seripando, [3] *Pastoris nomen per translationem sumamus.* Summi Pastoris functio est, populos sibi commissos in Ecclesia includere, in ea custodire, sancta Sacramenta Baptismatis, sacræ Eucharistiæ, Ordinis, ac reliqua parare, atque suo tempore exhibere, ad audiendum Dei verbum, seruandam Dei legem, illos ducere, reducere ne extra Ecclesiam exeant, ne Dei verbum hæresi infectum in illorum auribus insinuetur curare, summa vigilãtia cauere ne hæretici Principes, vt lupi, illos

illos in hæresim rapiant, ne falsi Prophetæ, vt latrones, furtim ab Ecclesia abducãt, ne seductores in ipsorum hæresim, vt abigei, impellant, si aliqui proni sunt ad hæresim illos retrahere, si errãtes ab Ecclesia, & hæresi infecti sunt, illos, diligenti studio, vt reducãtur, & sanentur, quærere, interim, ne illos inficiant, ab aliis separare, & quos penitus ita infectos videt, vt ad sanitatem reduci minimè possint, extra Ecclesiam facere, diris deuorere, & in corporum interitum dare, vt animæ, si possibile est, saluæ fiant: & rursus, suasionibus, monitionibus, legibus, nõ adductas adducere ad Ecclesiam, atque omnibus cœli iter pandere, reserare portas illius, ac vt omnes in summi patris sinum deducat inuigilare, niti, insudare, animam ponere.

SVMMOVETE igitur, schismatici pseudo-Iudices, ab oculis vestris ocularia infidelitatis, & ex his luce clarius videbitis, quod si Pontifex GREGORIVS monet Clerum & Nobilitatem, vt hæreticum deserant, si inobedientes ex Clero in pœnas canonum incidisse declarat, si pertinaces hæreticos à suo grege separat, ne illum infectent, si oues Christi sibi cõmissas, vtroque gladio protegere curat, *id omne potestate sibi in Petro à Christo data facit, & ea facit, quæ Pastorali iure facere sibi competit:* Et quod nullus ideò, nisi vestros conducat oculos, in monitorialibus Pontificis literis, *aut monentis ratione, aut ratione eorum, quæ in monitione continentur, aut aliquam nullitatem, aut incõgruitatem aliquam, inspicere poterit.*

SI dicitis, ideò monitoriales ipsas literas nullas dicimus: *quia illas nullas reddere, nempè nullius efficacia*

cio, omnino determinauimus, & nec nos illas curamus, & ne subditi Iurisdictioni nostræ illas aliquo modo curent, illis obediant, illas legant, aut habeant, *sub capitali pœna inhibuimus.*

AVDITE schismatici, vt monitoriales literas vilipendatis, vt vestræ pseudo-Iurisdictioni, aut potius tyrannidi, subditi illis non obediant, facere, iniuria, potestis: sed quòd vos excommunicati non sitis, quòd ex vestra hæresi non sint illaqueati subditi ipsi, non est vestræ potestatis facere. *Literæ enim ipsæ non sunt, vt blasphematis, nullæ, sed summè validæ, & eorum, quæ comminantur executionem secum trahunt, nec vestra, aut altera opera indigent.*[1] Et illarum ideò vigore, & vestra pertinacia, extra Ecclesiam facti estis, & miseros ipsos subditos perditis: estis, velitis nolitis, sub potestate Sathanæ constituti, & ni resipiscatis, estis in æternum baratrum præcipitandi.

DICVNT, secundo loco, *ipsas literas esse abusiuas*, abusiua nempè existere, quæ in literis continentur. At in literis, duo continẽtur, vt est sæpius dictum: Monitio ad Clerum & Nobilitatem, vt deserant Nauarrum & hæreticos: & Declaratio incursus pœnarum Canonum, contra illos ex clero, qui monitioni non paruerint.

ET in his abusus considerari potest, aut quod similes *Monitio, & Declaratio, nunquam in vsu fuerint:* Aut quod GREGORIVS Pontifex *illis non rectè vtatur: sed ad contrarium finem eius, cuius gratia inuenta fuerunt.*

VERVM, Monitionum vsu nihil frequentius videri poterit in sacris literis, tam veteris, quàm noui

[1] *ca. 1. in fin. de homic. lo 6. latè Tely. in ca. Rodulphus. in verbo, limita. 1. de Testa.*

noui Teſtamenti. In veteri, Prophetæ nihil ferè aliud faciunt, quam monere deſiſtendũ à peccato. Sed illis omiſſis, in nouo Teſtamento, Ioannes Baptiſta pœnitentiam agere monet, & exclamat: [1] *Parate viam Domini, rectas facite ſemitas eius.* Chriſtus Ieſus *primo mandat fraternam monitionem, & correptionem priuatam, vnius ad vnum, inde adhibitis duobus, vel tribus teſtibus, & tandem denuntiationem Eccleſiæ, & publicã monitionem.* Vt ſi ille ab Eccleſia monitus nõ deſtiterit à malo, *habeatur vt ethnicus, & publicanus.* Sed clarius ad rem noſtram Paulus, Syluanus, & Timothæus ad Theſſalonicenſes: [3] *Denunciamus*, dicunt, *vobis fratres, in nomine Domini noſtri Ieſu Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem quam acceperunt à nobis.* Et Ioannes Euangeliſta: [4] *Omnis qui recedit, & nõ permanet in doctrina Chriſti, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic patrem & filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini.* Et adhuc apertius idem Paulus: [5] *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita: ſciens quia ſubuerſus eſt qui eiuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio iudicio condemnatus.*

1 Mar. 1.
2 Matth. 18.
3 2. ca. 3.
4 2. ca. 1.
5 ad Titum c. 3.

CHRISTI, & Apoſtolorum veſtigia, in hoc, ſequuti ſunt ſummi Romani Pontifices, vt paſſim teſtantur ab illis editi ſacri canones.

NVNQVAM enim ad excommunicationis pœnam, vel aliam pœnarum executionem, quin prius fuerit præmiſſa monitio, deuenerunt, & ad illam

absque ea deueniendum non esse decreuerunt.

ALEXANDER vtique tertius ante annos quadringentos, & triginta, scribens Archiepiscopo Remensi, inquit: [1] *Cum Christus perfectus Deus, & perfectus sit homo, mandamus quatenus sub anathemate interdicas, ne quis de cætero audeat dicere Christum non esse aliquid secundum quod homo: quia sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Attende prius interdici, sub pœna anathematis: vt post monitionem in delinquentes, anathematis pœna sequatur.

1 c. cum Christus. de hæret.

INNOCENTIVS tertius ante annos quadringentos in Concilio generali Lateranẽsi, [2] Moneri, & compelli mandat per censuram Ecclesiasticam sæculi potestates, vt de suæ Iurisdictioni subiectis terris hæreticos exterminent, idque curaturos se iureiurando promittant. *Et monitos, & negligentes mandat ab Episcopis excõmunicari:* vt post annalem negligentiam *eorum vassallos solutos à fidelitate Pontifex ipse declaret, & eorum terras occupantibus Catholicis concedat.*

2 c. excõmunicam⁹. §. moneantur autem. de hæret.

IDEM Innocentius Archiepiscopo Lugdunẽsi scribit, [3] quod excommunicatus duplici causa, & vna duntaxat expressa absolutus, remanet pro altera excommunicatus: & addit, *ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ pro altera, monitione præmissa, cogatis.*

3 c. cũ pro causa. in fi. de sent. excomm.

IN excommunicando, Alexandri [4] decreto, seruari debet ordo Iudiciarius, [5] *qui attenditur si legitima monitio fiat.*

4 c. 1. vbi gl. in verbo, iudiciario. de exces. prælatorum.

ET ad excommunicationem, nisi monitione præmissa, deueniri minimè posse, summi iidem

Ponti

Pontifices statuerunt. Innocētius tertius in Concilio generali Lateranensi, his verbis: [1] *Sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti monitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quos (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat.* 1 c.sacro. de sentēt. excom.

E t Innocentius quartus ante annos 240. in generali Concilio Lugdunensi, dicens: [2] *Statuimus vt nullus Iudicum participantes cum excommunicato ab eo in locutionibus, & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante monitionem canonicā, excommunicare excommunicatione maiori præsumat.* 2 c.statuimus. de sent. excom. in 6.

V n d e dicit idem Innocentius tertius: [3] *Nec canonici suo Decano excommunicationem possunt obiicere, cum super hoc nec cōmonitus, nec impunitus fuerit.* 3 c. in præsentias. de senten. excom.

E o r v n d e m Apostolorum secuti sunt vestigia summi Pontifices, in prohibendo sub excommunicationis pœna communicationem cum hæreticis, illorúmque defensionem, receptionem, atque fauoris, & auxilij quamlibet præstationem. Innocentius tertius in Concilio generali, inquiēs: [4] *Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere.* Et graues in transgredientes, diuersasque pœnas, secūdum diuersos personarum status ibi decernit. 4 c. excōmunicamus. §. credētes. eod.

E t Alexander tertius in generali Concilio Lateranensi, ait: [5] *Excommunicatos quoque, & nominatim interdictos, tam ab illis* (de templariis, & religiosis intelligit) *quam ab aliis omnibus, iuxta Episcoporum sententiam, statuimus euitandos.* 5 c. cū & plantare. § excommunicatos. de priuilegiis.

C v m itaque summi Pontificis literæ monitio-

nem continęant, qua hæreticorum communio, fauor, & auxilium interdicitur. Et in hoc GREGORIVS Pontifex Christi, & Apostolorum vestigia sequatur, certè non nisi calumniosè, & falsò pseudo-Iudices Turonenses literas illas abusiuas proclamant: cùm abusiuæ dici non possint, nisi quod Christus, quod Apostoli fecerunt abusiuè factum esse etiam dicatur.

DICVNT tertio loco, *literas esse seditiosas*, in se quippe id continere, quod incitet ad seditionem.

VERVM cum seditio ex eo dicta sit. quod seorsum secedatur, *& sit motus populi*, [1] *& eorum qui in eadem multitudine sunt, vel inter se, vel in eos, quibus sunt fidelitate astricti, aut vtilitatis consequendæ, aut inferendæ iniuriæ gratia, in Reipublicæ detrimentum, facta secessio.* Certè cum Pontifex GREGORIVS in literis, illos, qui à Catholica Ecclesia, cui erant fidelitate obnoxij, secesserunt, & se tradiderunt Nauarro, & hæreticis: vt Nauarrum & hæreticos deserant, & ad Catholicam Ecclesiam reuertantur, moneat, non seditionem, & secessionem suadet: sed eos, qui secesserunt ab Ecclesia, & in detrimentũ Christianæ Reipublicæ, illius sciderunt vnionem: vt seditione pacata, & reiecta secessione, ad Catholicę Ecclesię corpus redeant, paternè hortatur: suo muneri incumbens, *seditionẽ pacare, & secessionem tollere, sanctè curat, ac nititur.* Et calumniosè ideò, & falsò literæ ipsæ à pseudo-Iudicibus seditiosæ dicuntur.

[1] *ad Bru. de sedit. libr. 1. in princ.*

PRAETEREA, *cum non possit caput à membris secedere: sed membra secedant à capite:* Certè summus Põtifex GREGORIVS, qui caput est Catholicæ Ecclesiæ,

Ecclesiæ, non secessit ab his, qui ex Ecclesiæ corpore secessere, & hæreticis adhæsere: sed ij, qui adhæserunt hæreticis, secesserunt ab Ecclesia Catholica, & à suo capite summo Pontifice GREGORIO, & Ecclesiæ vnitatem diuisere: *Et ipsi ideò sunt, & non* GREGORIVS, *seditiosi, ac pacis, & quietis turbatores, dicendi, atque censendi.*

AT si dicatur, quod ideò literæ seditiosæ sunt habitæ, quia Pontifex hortatur, ac iubet, *vt qui Nauarro tanquam suo capiti adhæserunt, & ei fidelitatem iurauerunt, ab eo recedant.* Appositè respondetur, quod cum Nauarrus hæreticus sit & relapsus, & eapropter, *nec in Catholico Regno caput esse possit, nec ei possit præstari, aut conseruari fidelitas:* Sacris Canonibus[1], & Põtificis SIXTI V. declaratione, obsistentibus: Certè qui Nauarro adhærent, fidelitatémque ei præstarent, contrauenerunt sanctionibus Ecclesiæ Catholicæ, & Ecclesiam ipsam, eiúsque caput summum Pastorem deserentes, in detrimentum Reipublicæ Christianæ, Catholicæ Ecclesiæ vnionem sciderunt, *verè sunt seditiosi:* & GREGORIVS Pontifex, qui illos à seditione retrahere ad Ecclesiam, & ad suum caput, & Catholici corporis vnionem reducere satagit, non solum seditiosus dici non potest, *sed Christianæ Reipublicæ vindex, tutor, & defensor, haberi, censeriq́; meritò debet.*[2] Et seditiosè igitur, & falsò, sunt eius literę à pseudo-Turonensibus Iudicibus seditiosæ dictæ, ac declaratæ.

AT dum pergunt ipsi, dicentes illas esse plenas *fallaciarum, & impietatum.* Cùm, vt sæpius dictum est, literæ nil aliud cantent, quàm vt moneant

1 *cap. non sanctorũ. c. iuratos. 15. q. 6.*

2 *Sylu. in verbo, seditio. in princip. ex sancto Thom. 2. 2. q. 42.*

Clerum, Principes, Nobiles, & populos, vt à Nauarri, hæreticorúmque communione se subtrahant, à præstandóque illis auxilium, ac fauorem se abstineant, & id Christus, Apostoli, & sacri Canones prohibeant, prohiberíque iubeant: certè non nisi ab impiis, & schismaticis dici possunt, impij aliquid in se cōtinere. Et cum in literis, Nauarrus, hæreticus & relapsus, & illius sequaces hæretici, hæreticorumque fautores nominentur: & Nauarrus relapsus, & illi, qui eum sequuntur, iure sint hæretici, & hæreticorum fautores: procul omni dubio, non fallacias, sed puram veritatem ipsæ literæ continent: & falsò ideò, impiè, & fallaciter à pseudo-Turonēsibus, fallacias, & impietates continere dicūtur. At cum ipsi germanam veritatem, fallacias: & Christi, Apostolorumque sacras Iussiones, impietates, prolato Arresto, esse decernāt: quales ipsi sint, hæretici nempe, schismatici, & athei, ipsimet declarant, & in se ipsos indubitatum testimonium dicunt.

PROSEQVVNTVR statuere, *literas ipsius contrarias esse sanctis Decretis, atque iuribus, immunitatibus, ac libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.* Verum cum ex proximè dictis clarissimè sit ostensum, eas literas cōformes pœnitus esse sanctis Decretis, Christi, Apostolorum, & præcedentium Pontificum; falsò, & calumniosè id ipsi blaterant: nisi forsan dicant contrarias esse sanctis Decretis Geneuensibus: qua declaratione adhibita, ipsos summè veraces esse ingenuè fateor. Quod verò ad iura, immunitates, & libertates Ecclesiæ Gallicanæ attinet, Quia de illis dicere, alibi proprior est locus, hic

cus, hic de illis verba facere, superſedeo.

PRO coronide, obliti ſe nullam legitimam poteſtatem habere: & ſi haberent, vltra limites, & in ſe maiores, extendere illam non poſſe, ſtatuunt nihilominus literarum exemplar fore dilacerandum, & comburendum: & furore perciti eo ruunt, vt ſummi Pontificis Nuncium capi, carceraríque decernant. Quo tyrannico decretó id ſolum agunt, vt rabiem, qua vexantur, euomant: & in pœnas Bullæ, quæ in Cœna Domini eſt ſolita legi, incurrant, & in illis inuoluantur. At appoſitè exemplar literarum igni conſumi curant, cum flamma, quæ ex illarum virtute exit, eorum corda vrit, & viuentes docet, qualis illa flamma ſit, quæ niſi ad cor redeant, & conuertantur, eos poſt mortem ibi cruciabit, vbi nihil eis aliud, quam ſtridorem dentium, & fremitum, audire continget. Verum ipſi id proſpicientes, ne ibi ſoli cruciētur. ſumma cum prauitate, vt omnes, quos poſſunt, illuc in cruciatum trahant, ſub capitis pœna, miſeris eorum tyrannidi ſubditis, ne literas ipſas publicent, habeant, legant, inhibent, & penitus prohibent: idque faciunt, quod in ipſis perdendis Sathanas agi curat, & laborat.

L. fin. ff. de iuriſd. omn. iud. c. vt animā. in fi. de conſti. in 6.


ET hæc omnia decreuerunt ad pſeudo Regij Procuratoris requiſitionē: & iuxta illius ſumptas concluſiones, ex literis, quas Regis dicunt, & illas publicari, & regiſtrari mandarunt, ſecundum ſanctam Regis intentionem: ſanctam nempe Geneuenſi ſanctitate.

ET perſanctè ideò, & iuſtè Pariſienſis Senatus pſeudo ipſos Iudices diuinæ atque humanæ Maje-

ſtatis reos, canonum, & ciuiles legum pœnas incurriſſe declarauit: Pſeudo Arreſti copiam ab executore Iuſtitiæ lacerari,& ante oſtium maioris Eccleſiæ Pariſienſis,comburi fecit, & ad criminis tam enormis expiationem, placandámque iuſtam Dei iram, hortandum fore Clerum, vt publicas preces proſequendas indicat, cenſuit: atque ſingulo quoque Veneris die cuiuſlibet hebdomadæ, proceſſionibus, & publicis precibus ſeſe affuturum ſpopondit.

Die 24. Septembris, à Chriſto nato, 1591.

AD





AD CALVMNIAS ET IMPOSTVRAS A PSEVDO CONVENTICVLO

Carnotensi, ad Catholicæ Religionis perniciem, Populique deceptionem, impiè confictas in Gregorium Papam XIIII. illiusq; monitionis literas, ad Clerum, Principes, Nobiles, & Populos Fräciæ.

DEFENSIO.



ISERA erat Francia, dixit quandoque Paulus Aemylius, rerũ à Francis Regibus gestarum pernobilis scriptor. Verum si is hodie viueret, quin illam non solum miseram, sed deplorandam etiam, ipse plorans, enunciaret, se continere minimè posset. Videret vtique nobilissimũ illud Regnum, quod Franci Principes, Nobilitásque Francica, summa cum virtute, & pietate, eò euexerunt, vt amici magna cum spe, maximo cum timore inimici, & ferè omnes non sine inuidia, in illud oculos figerent. Id inquam hodie à posteris illorum Principibus & Nobilibus, magna cum

Historiæ lib. 3.

ſplendorem illuſtrem euehere, reſtituere, & conſeruare, nituntur.

At dicitis, ſentio, *rei nihilominus ſunt parricidij Henrici Regis:* ſed hoc ſi tacuiſſetis, egiſſetis profectò ſapientius. Effudit enim Henricus ſacrati Pontificis ſanguinem, qui erat ſucceſſor Apoſtolorum, & primarius inter principaliora membra Eccleſiæ Catholicæ, & Apoſtolicæ ſanctæ Romanæ Sedis. Ipſius verò Henrici ſanguis effuſus eſt ab homine dicato religioni, & in Eccleſia Catholica inter humiliores infimum locum tenente, & ante Henricum vita functo, *quæ ſine numine facta vix dici poſſunt.* Et ideò, ſi quid ſapitis, ne ea amplius refricetis, ſed permittite quieſcere manes illius, quem viuentem veſtrates perpetua vexatione exagitarunt.

Verum, vos nihilominus perſiſtitis impudenter dicere, ſummum Pontificem, qui eſt Catholicorum protectionem amplexus, rebellibus fauere, & parricidis, nec aduertitis vos id dicere, quod falſum eſt, & impoſſibile. *Non enim fautor rebellionis, & parricidij, dari poteſt, niſi prius rebellio detur, & parricidium.* At vos ideò id effutitis, vt mendaciis, & his impoſturis, illi parti nobilitatis, quam infatuaſtis, & his infœlicibus populis, quos iniuſta iuriſdictione veſtra opprimitis, imponatis, & intellectus illis oculos penitus eruatis, atque ſummi Pontificis nomen odioſum, & auctoritatem eius, apud illos, contemptibilem, reddatis; vt vocem ſui Paſtoris non audiant, nec deſerant veſtram ſynagogam: in hoc veſtri Principis Sathanæ veſtigia ſequentes, qui nunquam orbem circuire

circuire cessat, vt diuidat, & dissipet Ecclesiam Catholicam: agnoscetis tamen, durum esse contra stimulum calcitrare. *Orauit vtique pro Petri fide, & Ecclesia Christus: & illam ne deficiat conseruabit, etiam inuitis vobis, & vos, nisi ad illam redeatis, cum imposturis, & impietatibus vestris, schismatici pseudo-Iudices, perdet, & dissipabit.*

QVANDOQVIDEM, contrario ordine, est his responsum, quæ vos pseudo-Iudices, contra personam Pontificis, secundo loco, blasphemastis; superest, vt his respõdeatur, quæ vos, primo loco, contra eius monitoriales literas, effutiistis. Dicitis itaque *literas esse, Nullas, Seditiosas, Plenas fallaciarum, & impietatum, atque contrarias, sanctorum Decretorum, iurium, immunitatum, ac libertatum, Ecclesiæ Gallicanæ.*

MONITIO, vt actus quilibet, tunc nullitate notari potest, cum aut ab eo fit, qui monendi potestatem non habet, aut ea in se continet expressum iuris errorem.[1]

SED aut Christus Iesus gregi suo de Pastore non prouidit, vel Pastori non dedit gregis sui pascendi necessariam potestatem, aut gregi Pastorem, & potestatem Pastori dedit: At nephas est primum dicere, nec ipsi schismatici id dicere audebunt: *Reliquit igitur Christus gregi Pastorem, & Pastori potestatem necessariam.* Sed ne tergiuersari possitis.

QVÒD Pastorem, & Pastorem Petrum reliquerit, testantur ipsius Christi verba, apud Matthæum:[2] *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & tibi dabo claues Regni cœlorum: & quod*

1 *L. si expressis. & ibi Bart. ff. de appellat.*

2 *cap. 16.*

1 cap. vlt. *quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum, & in cœlis.* Et apud Ioannem: [1] *Pasce agnos, pasce oues meas: & id post trinam exactam à Petro eximij sui amoris professionem.* Et rursus, illa apud Lucam: [2] *Rogaui pro te Petre, vt non deficiat fides tua, & tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos.*

2 cap. 22.

Qvae omnia non solum constitutionem Pastoris, & Vicarij sui, sed etiam attributionem potestatis testantur. *Ille vtique cui iniunctum est pascere oues, est certè ouium Pastor constitutus.* Sed Pastoris munus est, oues in caulis includere, custodire, cibariáque ibi necessitatis tempore parare, suo tempore ad pascua ducere, atque reducere, ne pascua infecta sint diligenti cura animaduertere, ne lupi eas deuorent, latronésve furentur, Abigei ne abigant, si aliqua aberrat retrahere, non adductas adducere, si quæ perdita est, eam quærere, si in morbum incidat curare, vt ad sanitatem reducatur, separare interim ab aliis, & quas penitus morbidas videt, extra gregem expellere: *Quæ pro arbitrio Pastores facere, vidit omnis ætas: habent igitur, Pastorali lege, ea faciendi Pastores potestatem.*

3 Apud Sāderum de visibi. monarch. sub aum. 1580.

At si cum Seripando, [3] *Pastoris nomen per translationem sumamus.* Summi Pastoris functio est, populos sibi commissos in Ecclesia includere, in ea custodire, sancta Sacramenta Baptismatis, sacræ Eucharistiæ, Ordinis, ac reliqua parare, atque suo tempore exhibere, ad audiendum Dei verbum, seruandam Dei legem, illos ducere, reducere ne extra Ecclesiam exeant, ne Dei verbum hæresi infectum in illorum auribus insinuetur curare, summa vigilātia cauere ne hæretici Principes, vt lupi, illos

illos in hæresim rapiant, ne falsi Prophetæ, vt latrones, furtim ab Ecclesia abducāt, ne seductores in ipsorum hæresim, vt abigei, impellant, si aliqui proni sunt ad hæresim illos retrahere, si errātes ab Ecclesia, & hæresi infecti sunt, illos, diligenti studio, vt reducātur, & sanentur, quærere, interim, ne illos inficiant, ab aliis separare, & quos penitus ita infectos videt, vt ad sanitatem reduci minimè possint, extra Ecclesiam facere, diris deuorere, & in corporum interitum dare, vt animæ, si possibile est, saluæ fiant: & rursus, suasionibus, monitionibus, legibus, nō adductas adducere ad Ecclesiam, atque omnibus cœli iter pandere, reserare portas illius, ac vt omnes in summi patris sinum deducat inuigilare, niti, insudare, animam ponere.

SVMMOVETE igitur, schismatici pseudo-Iudices, ab oculis vestris ocularia infidelitatis, & ex his luce clarius videbitis, quod si Pontifex GREGORIVS monet Clerum & Nobilitatem, vt hæreticum deserant, si inobedientes ex Clero in pœnas canonum incidisse declarat, si pertinaces hæreticos à suo grege separat, ne illum infectent, si oues Christi sibi cōmissas, vtroque gladio protegere curat, *id omne potestate sibi in Petro à Christo data facit, & ea facit, quæ Pastorali iure facere sibi competit:* Et quod nullus ideò, nisi vestros conducat oculos, in monitorialibus Pontificis literis, *aut monentis ratione, aut ratione eorum, quæ in monitione continentur, aut aliquam nullitatem, aut incōgruitatem aliquam, inspicere poterit.*

SI dicitis, ideò monitoriales ipsas literas nullas dicimus: *quia illas nullas reddere, nempè nullius efficacia*

cio, omnino determinauimus, & nec nos illas curamus, & ne subditi Iurisdictioni nostræ illas aliquo modo curent, illis obediant, illas legant, aut habeant, *sub capitali pœna inhibuimus.*

AVDITE schismatici, vt monitoriales literas vilipendatis, vt vestræ pseudo-Iurisdictioni, aut potius tyrannidi, subditi illis non obediant, facere, iniuria, potestis: sed quòd vos excommunicati non sitis, quòd ex vestra hæresi non sint illaqueati subditi ipsi, non est vestræ potestatis facere. *Literæ enim ipsæ non sunt, vt blasphematis, nullæ, sed summè validæ, & eorum, quæ comminantur executionem secum trahunt, nec vestra, aut altera opera indigent.* [1] Et illarum ideò vigore, & vestra pertinacia, extra Ecclesiam facti estis, & miseros ipsos subditos perditissimi estis, velitis nolitis, sub potestate Sathanæ constituti, & ni resipiscatis, estis in æternum barathrum præcipitandi.

[1] *ca. 1. in fin. de homic. in 6. latè Tely. in ca. Rodulphus. in verbo, limita. 1. de Testa.*

DICVNT, secundo loco, *ipsas literas esse abusiuas*; abusiua nempè existere, quæ in literis continentur. At in literis, duo continẽtur, vt est sæpius dictum: Monitio ad Clerum & Nobilitatem, vt deserant Nauarrum & hæreticos: & Declaratio incursus pœnarum Canonum, contra illos ex clero, qui monitioni non paruerint.

ET in his abusus considerari potest, aut quod similes *Monitio, & Declaratio, nunquam in vsu fuerint*: Aut quod GREGORIVS Pontifex *illis non rectè vtatur: sed ad contrarium finem eius, cuius gratia inuenta fuerunt.*

VERVM, Monitionum vsu nihil frequentius videri poterit in sacris literis, tam veteris, quàm noui

noui Testamenti. In veteri, Prophetæ nihil ferè aliud faciunt, quam monere desistendũ à peccato. Sed illis omissis, in nouo Testamento, Ioannes Baptista pœnitentiam agere monet, & exclamat: [1] *Parate viam Domini, rectas facite semitas eius.* Christus Iesus *primo mandat fraternam monitionem, & correptionem priuatam, vnius ad vnum, inde adhibitis duobus, vel tribus testibus, & tandem denuntiationem Ecclesiæ, & publicã monitionem.* Vt si ille ab Ecclesia monitus nõ destiterit à malo, *habeatur vt ethnicus, & publicanus.* Sed clarius ad rem nostram Paulus, Syluanus, & Timothæus ad Thessalonicenses: [3] *Denunciamus*, dicunt, *vobis fratres, in nomine Domini nostri Iesu Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem quam acceperunt à nobis.* Et Ioannes Euangelista: [4] *Omnis qui recedit, & nõ permanet in doctrina Christi, Deum non habet: qui permanet in doctrina, hic patrem & filium habet. Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, communicat operibus eius malignis. Ecce prædixi vobis, vt in die Domini non confundamini.* Et adhuc apertius idem Paulus: [5] *Hæreticum hominem post vnam & secundam correptionem deuita: sciens quia subuersus est qui eiusmodi est, & delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus.*

1 Mar. 1.
2 Matth. 18.
3 2. ca. 3.
4 2. ca. 1.
5 ad Titum c. 3.

CHRISTI, & Apostolorum vestigia, in hoc, sequuti sunt summi Romani Pontifices, vt passim testantur ab illis editi sacri canones.

NVNQVAM enim ad excommunicationis pœnam, vel aliam pœnarum executionem, quin prius fuerit præmissa monitio, deuenerunt, & ad illam

absque ea deueniendum non esse decreuerunt.

Alexander vtique tertius ante annos quadringentos, & triginta, scribens Archiepiscopo Remensi, inquit: [1] *Cum Christus perfectus Deus, & perfectus sit homo, mandamus quatenus sub anathemate interdicas, ne quis de cætero audeat dicere Christum non esse aliquid secundum quod homo: quia sicut Christus verus est Deus, ita verus est homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens.* Attende prius interdici, sub pœna anathematis: vt post monitionem in delinquentes, anathematis pœna sequatur.

1 *c. cùm Christus. de hæret.*

Innocentius tertius ante annos quadringentos in Concilio generali Lateranẽsi, [2] Moneri, & compelli mandat per censuram Ecclesiasticam sæculi potestates, vt de suæ Iurisdictioni subiectis terris hæreticos exterminent, idque curaturos se iureiurando promittant. *Et monitos, & negligentes mandat ab Episcopis excõmunicari:* vt post annalem negligentiam *eorum vassallos solutos à fidelitate Pontifex ipse declaret, & eorum terras occupantibus Catholicis concedat.*

2 *c. excõmunicam°. §. moneantur autem. de hæret.*

Idem Innocentius Archiepiscopo Lugdunẽsi scribit, [3] quod excommunicatus duplici causa, & vna duntaxat expressa absolutus, remanet pro altera excommunicatus: & addit, *ipsum tanquam excommunicatum satisfacere Ecclesiæ suæ pro altera, monitione præmissa, cogatis.*

3 *c. cũ pro causa. in fi. de sent. excomm.*

In excommunicando, Alexandri [4] decreto, seruari debet ordo Iudiciarius, [5] *qui attenditur si legitima monitio fiat.*

4 *c. 1. vbi gl. in verbo, iudiciario. de exces. prælatorum.*

Et ad excommunicationem, nisi monitione præmissa, deueniri minimè posse, summi iidem Ponti

Pontifices statuerunt. Innocētius tertius in Concilio generali Lateranensi, his verbis: [1] *Sacro approbante Concilio prohibemus, ne quis in aliquem excommunicationis sententiam, nisi competenti monitione præmissa, & personis præsentibus idoneis, per quos (si necesse fuerit) possit probari monitio, promulgare præsumat.* 1 c. sacro. de sentēt. excom.

Et Innocentius quartus ante annos 240. in generali Concilio Lugdunensi, dicens: [2] *Statuimus vt nullus Iudicum participantes cum excommunicato ab eo in locutionibus, & aliis, quibus ligatur participans excommunicatione minori, ante monitionem canonicā, excommunicare excommunicatione maiori præsumat.* 2 c. statuimus. de sent. excom. in 6.

Vnde dicit idem Innocentius tertius: [3] *Nec canonici suo Decano excommunicationem possunt obiicere, cum super hoc nec cōmonitus, nec impunitus fuerit.* 3 c. in præsentias. de senten. excom.

Eorundem Apostolorum secuti sunt vestigia summi Pontifices, in prohibendo sub excommunicationis pœna communicationem cum hæreticis, illorúmque defensionem, receptionem, atque fauoris, & auxilij quamlibet præstationem. Innocentius tertius in Concilio generali, inquiēs: [4] *Credentes præterea, receptatores, defensores, & fautores hæreticorum excommunicationi decernimus subiacere.* Et graues in transgredientes, diuersasque pœnas, secūdum diuersos personarum status ibi decernit. 4 c. excōmunicamus. §. credētes. eod.

Et Alexander tertius in generali Concilio Lateranensi, ait: [5] *Excommunicatos quoque, & nominatim interdictos, tam ab illis* (de templariis, & religiosis intelligit) *quàm ab aliis omnibus, iuxta Episcoporum sententiam, statuimus euitandos.* 5 c. cū & plantare. §. excommunicatos. de priuilegiis.

Cvm itaque summi Pontificis literæ monitio-

Ecclesiæ, non secessit ab his, qui ex Ecclesiæ corpore secessere, & hæreticis adhæsere: sed ij, qui adhæserunt hæreticis, secesserunt ab Ecclesia Catholica, & à suo capite summo Pontifice GREGORIO, & Ecclesiæ vnitatem diuisere: *Et ipsi ideò sunt, & non* GREGORIVS, *seditiosi, ac pacis, & quietis turbatores, dicendi, atque censendi.*

AT si dicatur, quod ideò literæ seditiosæ sunt habitæ, quia Pontifex hortatur, ac iubet, *vt qui Nauarro tanquam suo capiti adhæserunt, & ei fidelitatem iurauerunt, ab eo recedant.* Apposité respondetur, quod cum Nauarrus hæreticus sit & relapsus, & eapropter, *nec in Catholico Regno caput esse possit, nec ei possit præstari, aut conseruari fidelitas:* Sacris Canonibus[1], & Pótificis SIXTI V. declaratione, obsistentibus: Certè qui Nauarro adhærent, fidelitatémque ei præstarent, contrauenerunt sanctionibus Ecclesiæ Catholicæ, & Ecclesiam ipsam, eiúsque caput summum Pastorem deserentes, in detrimentum Reipublicæ Christianæ, Catholicæ Ecclesiæ vnionem sciderunt, *verè sunt seditiosi:* & GREGORIVS Pontifex, qui illos à seditione retrahere ad Ecclesiam, & ad suum caput, & Catholici corporis vnionem reducere satagit, non solum seditiosus dici non potest, *sed Christianæ Reipublicæ vindex, tutor, & defensor, haberi, censeríq; meritò debet.*[2] Et seditiosè igitur, & falsò, sunt eius literę à pseudo-Turonensibus Iudicibus seditiosæ dictæ, ac declaratæ.

AT dum pergunt ipsi, dicentes illas esse plenas *fallaciarum, & impietatum.* Cùm, vt sæpius dictum est, literæ nil aliud cantent, quàm vt moneant

1 *cap. non sanctorũ. c. iuratos. 15. q. 6.*

2 *Syln. in verbo, seditio. in princip. ex sancto Thom. 2. 2. q. 43.*

Clerum, Principes, Nobiles, & populos, vt à Nauarri, hæreticorúmque communione se subtrahant, à præstandóque illis auxilium, ac fauorem se abstineant, & id Christus, Apostoli, & sacri Canones prohibeant, prohiberíque iubeant: certè non nisi ab impiis, & schismaticis dici possunt, impij aliquid in se cõtinere. Et cum in literis, Nauarrus, hæreticus & relapsus, & illius sequaces hæretici, hæreticorumque fautores nominentur: & Nauarrus relapsus, & illi, qui eum sequuntur, iure sint hæretici, & hæreticorum fautores: procul omni dubio, non fallacias, sed puram veritatem ipsæ literæ continent: & falsò ideò, impiè, & fallaciter à pseudo-Turonẽsibus, fallacias, & impietates continere dicũtur. At cum ipsi germanam veritatem, fallacias: & Christi, Apostolorumque sacras Iussiones, impietates, prolato Arresto, esse decernãt: quales ipsi sint, hæretici nempe, schismatici, & athei, ipsimet declarant, & in se ipsos indubitatum testimonium dicunt.

PROSEQVVNTVR statuere, *literas ipsas contrarias esse sanctis Decretis, atque iuribus, immunitatibus, ac libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.* Verum cum ex proximè dictis clarissimè sit ostensum, eas literas cõformes pœnitus esse sanctis Decretis, Christi, Apostolorum, & præcedentium Pontificum; falsò, & calumniosè id ipsi blaterant: nisi forsan dicant contrarias esse sanctis Decretis Geneuensibus: qua declaratione adhibita, ipsos summè veraces esse ingenuè fateor. Quod verò ad iura, immunitates, & libertates Ecclesiæ Gallicanæ attinet, Quia de illis dicere, alibi proprior est locus, hic

cus, hic

cus, hic de illis verba facere, superſedeo.

PRO coronide, obliti ſe nullam legitimam poteſtatem habere: & ſi haberent, vltra limites, & in ſe maiores, extendere illam non poſſe, ſtatuunt nihilominus literarum exemplar fore dilacerandum, & comburendum: & furore perciti eo ruunt, vt ſummi Pontificis Nuncium capi, carceraríque decernant. Quo tyrannico decreto id ſolum agunt, vt rabiem, qua vexantur, euomant: & in pœnas Bullæ, quæ in Cœna Domini eſt ſolita legi, incurrant, & in illis inuoluantur. At appoſitè exemplar literarum igni conſumi curant, cum flamma, quæ ex illarum virtute exit, eorum corda vrit, & viuentes docet, qualis illa flamma ſit, quæ niſi ad cor redeant, & conuertantur, eos poſt mortem ibi cruciabit, vbi nihil eis aliud, quam ſtridorem dentium, & fremitum, audire continget. Verum ipſi id proſpicientes, ne ibi ſoli crucietur. ſumma cum prauitate, vt omnes, quos poſſunt, illuc in cruciatum trahant, ſub capitis pœna, miſeris eorum tyrannidi ſubditis, ne literas ipſas publicent, habeant, legant, inhibent, & penitus prohibent: idque faciunt, quod in ipſis perdendis Sathanas agi curat, & laborat.

L. fin. ff. de iuriſd. omn. iud. c. vt animã. in fi. de conſti. in 6.


ET hæc omnia decreuerunt ad pſeudo Regij Procuratoris requiſitionẽ: & iuxta illius ſumptas concluſiones, ex literis, quas Regis dicunt, & illas publicari, & regiſtrari mandarunt, ſecundum ſanctam Regis intentionem: ſanctam nempe Geneuenſi ſanctitate.

ET perſanctè ideò, & iuſtè Pariſienſis Senatus pſeudo ipſos Iudices diuinæ atque humanæ Maje-

ſtatis reos, canonum, & ciuiles legum pœnas incurriſſe declarauit: Pſeudo Arreſti copiam ab executore Iuſtitiæ lacerari,& ante oſtium maioris Eccleſiæ Pariſienſis,comburi fecit, & ad criminis tam enormis expiationem, placandámque iuſtam Dei iram, hortandum fore Clerum, vt publicas preces proſequendas indicat, cenſuit: atque ſingulo quoque Veneris die cuiuſlibet hebdomadæ, proceſſionibus, & publicis precibus ſeſe affuturum ſpopondit.

Die 24. Septembris, à Chriſto nato, 1591.

AD





AD

CALVMNIAS
ET IMPOSTVRAS
A PSEVDO CONVENTICVLO

Carnotenſi, ad Catholicæ Religionis perniciem, Populique deceptionem, impiè confictas in Gregorium Papam XIIII. illiusq́ monitionis literas, ad Clerum, Principes, Nobiles, & Populos Frãciæ.

DEFENSIO.



ISERA erat Francia, dixit quandoque Paulus Aemylius, rerũ à Francis Regibus geſtarum pernobilis ſcriptor. Verum ſi is hodie viueret, quin illam non ſolum miſeram, ſed deplorandam etiam, ipſe plorans, enunciaret, ſe continere minimè poſſet. Videret vtique nobiliſſimũ illud Regnum, quod Franci Principes, Nobilitáſque Francica, ſumma cum virtute, & pietate, eò euexerunt, vt amici magna cum ſpe, maximo cum timore inimici, & ferè omnes non ſine inuidia, in illud oculos figerent. Id inquam hodie à poſteris illorum Principibus & Nobilibus, magna cum

Hiſtoriæ lib. 3.

cum impietate, eò præcipitatũ cerneret, vt amici non ſine lachrymis, inimici non ſine deriſione, & non ſine commiſeratione omnes, aſpicere illud poſſint.

VIDERET rurſus Gallicanam Eccleſiam, quæ à Diuo Dionyſio ad hæc vſque miſera tempora, candidam, inuiolatam, & ſine monſtris, ſe continuit, à paucis annis, eò redactam, vt multiplicata monſtra an illam proſtratam ex Francia deturbẽt nec ne, niſi propitia Dei bonitas adſiſtat, haud facilè iudicari poſſit. Non enim in illam ſola plebs, Nobiles, & Principes, ſed, proh dolor, ipſamet, in ſua ipſius viſcera inſurrexit. Ex potioribus vtique ipſius filiis aliqui in ipſam coniurarunt, & ab Eccleſiæ Catholicæ compage illam euellere, malis artibus, fraudibus, & totis viribus nituntur. Hiſce enim diebus Carnuti, ad Monitoriales literas ſummi Pontificis GREGORII XIIII. ad Clerum, Principes, Nobiles, & Populos Franciæ datas, eneruandas, & annichilandas, ſimulata cum pietate, atque charitate doloſa, vt ſimplices fallant, vafrè admodum conuenticulum inierunt, & ſcriptum quoddam impium, nomine Declarationis, publicari, imprimi, & vbique affigi, mandarunt. Eius verò titulus ſic habet.

CARDINALES, *Archiepiſcopi, Epiſcopi, Abbates, Capitula, & alij Eccleſiaſtici.*

IN verbis, Cardinales, & Archiepiſcopi, aut impreſſoris error interuenit, & reponendum eſt: *Cardinalis, Archiepiſcopus,* aut ita in pluralitate loquentes dilatãt fimbrias, vt videatur ibi Nicenum Concilium, aut Epheſinum, fuiſſe congregatum:

cum

cum in veritate vnus adfuerit Cardicalis, & vnus Archiepiſcopus, & tot Epiſcopi, & Abbates, vt vix Diaconorum numerũ æquare poſſent, addunt: *& alij Eccleſiaſtici*, ſed miror quare non dicunt, Catholici Eccleſiaſtici.

SEQVVNTVR, dicentes *ſe eſſe coadunatos, vt proſpiciatur, & conſulatur, rebus concernentibus Eccleſiam.* Et hic aut error eſt, aut mendacium. Nam aut dicere debebant, rebus demolientibus Eccleſiam. Aut debebant exprimere de qua loquuntur Eccleſia. Nam dicere ſe adunatos, vt conſuleretur Eccleſiæ Catholicæ, certè non poſſunt: cùm infra non pro illa, ſed contra illam ſtatuant. Impugnant enim illius, & ſui Paſtoris auctoritatẽ: & ſupereſt, vt Geneuenſi, aut aliæ hæreticæ Eccleſiæ, ſeu potius ſynagogæ, conſulere deſudent.

PERGVNT dicere, *Omnibus ſtatibus, Ordinibus, Vrbibus, & Populis Catholicis Regni.* Hic prudenter agunt, dirigentes literas, & mandantes, Catholicis: *vt negligant illam, quam agnoſcunt ſummi Pontificis auctoritatem:* Cùm præcipere hæreticis hoc, ſuperfluum, & vanum fuiſſet: ante ipſos enim vale dixerunt Catholicæ Eccleſiæ ſummo Pontifici, & illius auctoritati.

IN literarum prȩfatione, ſpecioſius à quoquam præfari minimè potuiſſet. Mandatum referunt Apoſtoli ad Paſtores Eccleſiarum ſub his verbis: *Curate vos, & greges, quibus vos Deus præpoſuit ad regendam, & gubernandam Eccleſiã ſuam, quam pretioſo ſuo ſanguine acquiſiuit. Id quod debiti noſtri eſſe agnoſcimus, vt ne permittamus Chriſtianas animas, quæ ſub cura noſtra ſunt, aberrare à legibus, & mandatis Dei.*

QVID

QVID verò poſt præfationem tam ſanctam, poſtquam agnouerint Eccleſiam pretioſo Chriſti ſanguine fuiſſe emptam: poſtquam tam ingenuè falſi ſunt, animas ipſorum curæ datas, cuſtodiendas eſſe, ne ſacras leges, ne Dei mandata violent: Quid dico ipſi fecerint, non ex ignorantia, ſed poſt longas conſultationes, & deliberatè fecerint, audite. Dicunt, *Paſtori ſummo, gerentis vices Chriſti non eſſe parendum:* &, contra ſacros Canones, & mandata Apoſtolorum & Chriſti, *non eſſe deſerendum hæreticum, non deſiſtendum à fauore, & auxilio illi impartiendo,* vt abolere poſſit, & in hoc Regno, & vbique locorum ſanctam, & vniuerſalem Catholicam Religionem: & eius rei gratia, vt falſi Paſtores, imò rapaces lupi, ſanctis his præfationis verbis, pro melle, & ſaccharo aſſumptis, & his dulcorata calicis ſummitate, id agunt, vt loco ſalubris potus, ipſæ animæ miſeræ, veneni amaritudinem non ſentientes, pernicioſam potionem bibant, & pereant.

PERGVNT dicētes, *Cùm cognouerimus noſtrum ſanctum Patrem* GREGORIVM XIIII. *ſiniſtrè inſtructum de ſtatu rerum Regni, & noſtrarum actionum, inſtigationibus, & artificiis inimicorum huius ſtatus, aliquas monitoriales literas ſuſpēſionis, interdicti, & excommunicationis, tam contra Prælatos, & Eccleſiaſticos, quàm contra Principes, & Populos Franciæ, qui eorum factioni, & rebellioni recuſabant adhærere, tranſmittere perſuaſum fuiſſe.*

AGNOSCVNT GREGORIVM ſummum Pontificem, ſed ad quem finem ſtatim dicetur. *Dicunt illum malè inſtructū de ſtatu Regni, & ipſorum actioni*

actionibus. GREGORIVS in literis, dicit hæreticos oppugnare Franciam vi, dolis,& armis,& pro viribus laborare, vt ex ea expellatur Catholica Religio. Rogo vos, Archiepiſcopi & Epiſcopi, éſtne hoc verum? an eſt GREGORIVS ſiniſtrè informatus. Dicit *multos ex Clero, multos ex Nobilitate Nauarrum hæreticum ſequi, illi adſiſtere,* vt Regnum illud, ad quod illum non recipere iuraſtis, conſequatur: inſtructúſne eſt in hoc Pontifex GREGORIVS ad verum, an illi eſt falſum ſuggeſtum? Nónne vos contra voſmet ipſos teſtimonium dicitis, dum Nauarrum ſequimini, illum deſerere non vultis, aliis, vt illũ nõ deſerant, perſuadere ſatagitis:& ad hunc finẽ contra conſcientiam veſtram, qui GREGORIVM in Pontificem agnoſcitis, illius auctoritatem impugnatis, negligitis ſuaſiones illius, illius mandata contemnitis?

DICVNT, GREGORIVM Pontificem *ſuaſum inſtigationibus inimicorum Franciæ, monitoriales literas tranſmiſiſſe:* Sed cum Pontifex ex onere ſibi iniuncto teneatur, oues cuſtodire ne infectentur, & infectas pro viribus ad ſanitatem retrahere, & hoc facere ipſe procuret: Cur potius boni Paſtores, hoc GREGORII factum, ad inimicorum Franciæ inſtigationes, quàm ad optimi Paſtoris officium, & debitum, ſuíque Iuris executionem, contra veritatem, & iuris præſumptionem, traducitis? Etſi aliqui id GREGORIO ſuaſiſſent, cur id ad inimicitiam potius, quàm ad charitatem fraternam imputatis? Cum ipſi nihil aliud, quàm vos à perpetuo interitu liberare, & à Sathanæ faucibus eripere, id faciendo, curaſſent?

DICVNT,

DICVNT, Pontificem *contra Principes, & Populos excommunicationem in literis inseruisse*, & cum hoc falsum sit: suadere enim his paternè, ac placidè nititur Pontifex, vt ab eo hæretico se retrahant, & vix minas indicat: certè ad alium finem id ipsi facere non possunt, quàm vt Principes, Nobilitatem, & Populos irritent in Pontificem: & vt Nauarro adsistant, etiam à mendaciis non se abstinent.

VENIVNT ad dispositiuam, dicentes *post actam consultationem, & maturam deliberationem, super contentis in Bullis, agnouisse monitiones, interdictiones, suspensiones, & excommunicationes esse nullas, tam in forma, quàm in materia; iniustas, & artificio extraneorum inimicorum Franciæ suggestas*. De nullitate, & ea ratione, qua Bullas, post consultationem nullas reddere designant, dictum est satis suprà contra Turonenses: & quia eadem illa ferè statim rursus dicere, tædiosum haberi posset, ea hic omittimus. At quia addunt, *nullas esse, tam in forma, quàm in materia*, vellem vt specialius loquerentur, & quid pro forma ipsi intelligant, aperirent. At ipsis generaliter loquentibus, generaliter ego respondes, incongruum videri non poterit, si dixero, quod si & Bullæ, & in Bullis contenta, curiosè inspiciantur, nil poterit in ipsis inueniri, quod non ritè, ac rectè collocatum, & dispositum fuerit; & quod propterea eas nullitates, quas ipsi generaliter somniant, specialiter declarare minimè possent. Sed liberalius agamus, & diuinemus quid ipsi pro forma dicere velint. Si enim pro forma, *modum in ipsis procedendi sumunt*, certè forma est, vt monitio

præce

præcedat:[1] sequatur verò, aut interdictum, aut suspensio, aut excommunicatio. Si autem pro forma, non procedendi modus, *sed aliud quid in ipsis substantialius haberi volunt:* Tunc certè forma est, vt in monitionibus causa inseratur, & specificè quid, & à quibus, & quo tempore fieri, vel non fieri debeat, in ipsa clarè & apertè iubeatur. Suspensionum verò, interdictorum, & excommunicationum est forma ferè similis, quippe vt in scriptis fiant,[2] vt causæ explicentur, & designentur certæ personæ, atque loca. Et hæc omnia in Pontificis GREGORII Bullis, specificè, & clarè videri ab omnibus possunt: nulla igitur in ipsis extorqueri nullitas potest.

1 c. sacro. de sent. excomm. c. statuimus. eod. tit. in 6.

2 ca. 1. §. quisquis. de sentēt. excom. in 6.

QVÒ enim ad primum, monet Clericos, vt à Nauarro hæretico, illiúsque fautoribus se abstineant, & à fauore, auxilioque illis præstando caueant: ponit terminum ad parendum, & inobedientes Clericos, elapso termino, suspensos, interdictos, & excōmunicatos respectiuè, declarat: Nobilibus autem, & Populis, monitis, placidè, & paternè duntaxat minatur. Quò ad secūdum, *causæ sunt aliqua iniustè facta, vel nō facta, aut suspicione ne quid iniustè fiat.* Nempè in casu nostro, communicare cum hæreticis, illísque præstare auxilium, aut suspicio, ne non ab illorum communione, & auxilio se abstineant: & ea de causa, quia illi hæretici sunt, & Franciam deuastant, atque Catholicam Religionem persequuntur, & è Francia disturbare satagunt. Et hæc quò ad formam, de qua inferiùs aliquid etiam dicetur.

QVÒ autem ad materiam *monitionum, eadem*

ferè

ferè eſt cum forma,ſed in genere, aliquid faciendum,vel non faciendum iniuſtè: At in ſuſpenſionibus,interdi-ctis,& excõmunicationibus, *materia eſt aliquid, iniuſtè factum, vel non factum: vt cõmunicatio facta cum hæretico,& fauor auxiliumq́ illi præſtitũ contra Catholicos.* Et omnia hæc tã formaliter, quã materialiter ſeruata ſunt in Bullis ſummi Põtificis GREGORII. Monet vtique (vti dictum eſt) vt à communione Nauarri, & ſectatorum illius, ab illíſque auxilium præſtando, ſe abſtineant, & caueant Catholici, ſiue Clerici ſint, ſiue laïci. & ea de cauſa: quia Nauarrus non ſolum eſt notoriè hæreticus, ſed quia notoriè etiam eſt relapſus, & hæreticorum caput, & Princeps; Pontifex ideò primo monet, præfigit ad parendum tempus, & inobedientes Clericos in pœnas incidiſſe declarat: laïcis verò declarare minatur. Et hæc omnia ita iuxta Chriſti & Apoſtolorũ, mandata, ſtatuta, & leges; vt ex ſuprà dictis apertè agnoſci poteſt, ritè, ac rectè, acta ſunt, vt in his nulla poſſit, niſi à vertiginoſis mentibus, nullitas, aut in forma excogitari, aut in materia. Falsò igitur eas nullas dicit conuenticulum Carnotenſe, quæ vt conſcientias alienas inuoluat, atque ſeducat, tanta magno circuitu comminiſcitur, ac congerit.

MINVS illas iniuſtas dicere poteſt, cum ea, quæ mandat Chriſtus, monent Apoſtoli, vt eſt ſuprà oſtenſum, & ſacræ leges iubent, vt oſtendetur, iniuſta haberi, dicíque non poſſint, *niſi ab iniuſtè induratis, & datis in reprobum ſenſum.*

NEC poſſunt, niſi ipſis, qui Franciam perdere, & Religionem Catholicã exulem facere deſudãt, ab ini

ab inimicis Franciæ esse suggesta videri, ea quæ ij, qui Franciam in pristinum statum reponere, & Catholicam Religionem, ab ipsis coinquinatam restaurare, atque conseruare, totis viribus, procurant (vt summus Pontifex GREGORIVS, & qui illi assistunt, agunt) promouẽt, & perficere nituntur.

AD id tandem disiliunt, cuius gratia, tanta inuoluerunt. Dicũt enim se agnouisse, *quod prædictæ monitiones, interdictiones, suspensiones, & excommunicationes non possunt ligare, aut obligare, nec ipsos, nec alios Frãcos, qui sub Regis obedientia degunt.* ET HIC LEPVS IACET, HIC VOLVITVR CARDO. Volunt Nauarrum in Regem promouere: volunt hæreticis, vt Franciam vrant, aboleant Catholicam Religionem, & sacra omnia perdant, auxilio esse: & dicunt ideò summi Pastoris monitiones, quæ ipsos ad Ecclesiam Catholicam, & salutem reuocant, *esse nullas, esse iniustas, & nec ipsos, nec Francos alios obligare posse.* Abnegantes Christum, qui Ecclesiam suam fundans, Pastoribus in Petro dedit ligandi, atque soluendi omnem potestatem, profitens omnes ligatos, vel solutos se habiturum in cœlis, quos ipsi ligassent, aut soluissent in terris.[1] Et quærendum ideò est, *quomodo possunt isti agnoscere* GREGORIVM *summum Pontificem, & illius honorem, & respectum conseruare, vt ipsi dicunt,* & nihilominus *illius abnegare potestatem, & auctoritatem vilipendere:* Quæ simul stare, & vera esse minimè possunt. Aut enim verè fatentur GREGORIVM esse summum Pastorem, & Christi in terris Vicarium, & tunc aut Christum mendacẽ habent, aut velint nolint cogũtur dicere, GREGORIVM

[1] Matth. 16. Ioan. vlt. Lucæ 22.

pro potestate sibi à Christo data, posse se, & alios, & ligare, & soluere in terris. Aut sustinent GREGORIVM non posse ipsos ligare, & procul omni dubio, aut Christo non credunt, aut falsò, & simulatè dicunt GREGORIVM esse summũ Ecclesiæ Pastorem, in dubio relinquentes, sint nécne Catholici ipsi, vel athei. At forsan non erraret, qui assertiuè diceret, ipsos minimè esse Catholicos, sed aut hæreticos, aut atheos: & quòd ideò GREGORIVM summum Pontificem agnoscere verbo videri volunt, *vt ea vafra agnitione Catholicos, qui Nauarrum sequuntur, decipiãt, & in Nauarri seruitio retineant*, sub specioso pretextu, quod se Catholicum Nauarrus reddet: timentes ne iidem videntes Nauarrum velle ipsis, vt facit, verbis, non re satisfacere, & scientes summum Pontificem iustè posse id mandare, ab eo recedant, & se transferant ad Catholicos.

1 PROVT Nauarrus non se Catholicum dicit: & non ea ratione, *quòd Religionem Catholicam, quam iterum deseruit, valde curet, aut quod sectam hæreticam, quam abiurauit, & per non modicum tempus detestari est professus, multi faciat*: sed ideò, seque profitetur hæreticum, vt pro se detineat hæreticos, & illorum non destituatur auxiliis: & Conuenticuli Sacerdotes ideò *eundem Catholicum fore, alta voce decantant*: Vt quemadmodum is re, & protestationibus confirmat hæreticos, ita ij tot promissionibus decipiant Catholicos.

2 QVÓDQVE hoc ipsi procurent, cognoscere non opus est multi laboris, pergunt enim dicere: *Et eapropter nostri debiti, atque oneris esse censuimus,*

vos

vos monere, vt per præsentes (absque eo tamen quod in aliquo honori, ac reuerentiæ debitæ dicto nostro sancto Patri præiudicare intendamus) monemus, & significamus, & declaramus, vt ne qui intra vos infirmiores sunt, decipiantur, & diuertantur ab obsequio debito Regi, & Prælatis suis: & omnis scrupulus conscientiæ à bonis Catholicis, & Francis fidelibus auferatur.

PONTIFICIS vtique GREGORII (cuius honori & reuerẽtiæ præiudicare nolle protestantur, sed quare ita protestentur suprà diximus) *monita & mandata, nulla dicunt, & iniusta*, ita vt nec aliquem obligare, aut ligare possint: & ideò id dicunt, vt si qui sunt inter eos timoratæ conscientiæ Catholici, quos ipsi infirmiores nominant, id est, qui nõ pęnitus indurati, ac lapsi sunt in atheismum, ij non decipiantur: nempè sui Pastoris vocem non audiant, nec pareant mandatis illius: Ita vt iuxta canones Conuenticuli Carnotensis, *Obedientia sui Pastoris, illiúsque vocis agnitio, deceptio sit censenda*: Quicquid apud Euangelistam Christus dixerit, quippe,[1] *qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit, & Patrem.* Canonis autem sic edendi iustissima fuit & impulsiua, & finalis ratio, nempè *vt verè illos decipiant, & illusos in Nauarri hæretici obsequio, potestateq́ꝫ Sathanæ detineant.* Sed quæso? Quorũ in numero reponendi sunt conuenticuli isti Archiepiscopus, & Episcopi, si vt diximus inter hæreticos, aut atheos, non recipiantur? 1 *Luc.10.*

PERGVNT dicere: *Vt omnis scrupulus conscientiæ, ex bonis Catholicis, & fidelibus Francis auferatur.* Decernunt, monent, significant, & declarant, abiiciendum esse omnem conscientiæ scrupulum:

ita vt libera conſcientia *nihili ſummi Paſtoris mandata, nihili ſacræ leges fiant:* Sed faciat quiſque, aut credendo, aut non credendo, quæ magis ſibi libuerit, vno duntaxat excepto videlicet *ne deſeratur Nauarrus.* Verum quia is ſcrupulus vix tolli poterat ex conſcientia Catholicorum Francorum, ipſi adiunctis epithetis id fieri facilè poſſe oſtenderunt, dixerũt vtique *ex bonis Catholicis,* vt ij boni Catholici habeãtur (eorum ſententia) qui hæreticum ſequuntur, & ſuſtinent. *Fideles itẽ Franci ij cenſeantur,* qui fide pręſtita, ſe hæretico adſtrinxerunt.

HANC eorum doctrinam, ſi cum Chriſti monitis decretíſque conferant Archiepiſcopus, Epiſcopus, cæteríque Conuenticuli Sacerdotes, aut cæci penitus erunt, aut illa videbunt ex diametro inter ſe pugnare. Dicit Chriſtus *ſe illum auditurum, qui Paſtorem à ſe conſtitutum audit: ſe verò ſpernere, qui ſpernit Paſtorem: Docet, Eccleſiam non audientes eſſe vitandos.* Mandant iſti *à fidelibus ſuis Francis, ſuis bonis Catholicis audienda non eſſe* GREGORII *ſummi Paſtoris ſanctiſſima monita, ab hæreticorum communione ipſos prohibentia.* Mandant Nauarrum licet ſpernentem ſummum Paſtorem, licet non audientem Eccleſiam, licet Eccleſiam oppugnantem, *deſeri nequaquam habere; non debere ab illius obſequio deſiſti,* licet hæreticus ſit, & relapſus.

CHRISTVS cœlum aſcenſurus profitetur *ſe illum in cœlis ligatum, vel ſolutum habiturum, quem Paſtor ab eo relictus, cuiq́; omnem dedit in terris poteſtatem, aut ſoluerit, aut ligauerit in terris.* Declarant iſti Pontificem GREGORIVM Chriſti in terris Vicarium, & ſucceſſorem Petri, omníſq; poteſtatis,

quam

quam Christus in Petro, ipsi Petro, & suis successoribus contulit, *suis monitionibus, interdictionibus, suspensionibus, & excommunicationibus, nec se, nec alios Francos, qui sub Nauarri obedientia degunt, obligare, aut ligare posse.* Et ita hæc audacter ac temerariè obganniunt, ac si ipsis non Christo obsequendum esset. Hanc tamen doctrinam improbarunt Apostoli, sequuti mandata Christi. Paulus vtique mandat Tito[1] *loqui, exhortari, & arguere cum omni Imperio, atque neminem illum contemnere debere præcepit,* licet non summus Pastor, sed Cretensium duntaxat Pastor esset. Mādat *hæreticum præmissis monitionibus esse vitandum, idem mandat Ioannes,*[2] qui arcana sacra ex Christi pectore hausit. Attendite itaque Catholici Franci, vitate pestiferam istorum doctrinam: & audientes vocem summi Pastoris GREGORII vos monentem, sequimini mandata Christi, & Apostolorum, atque Nauarrum, hæreticos, illorumque fautores atheos deserite: & reuertimini ad gremium Catholicæ Ecclesiæ, ad quā paternè vos summus Pastor GREGORIVS vocat, atque cum omni charitate redire hortatur.

1 c. 2. & 3. ad Tit.

2 Epi. 2.

SEQVVNTVR ipsi, dicentes: *Nobis reseruantes repræsentare, atque explicare apud sanctum nostrum Patrem causæ nostræ iustitiam, ac sanctam intentionem, atque sanctitati Suæ satisfacere: à qua nos idemmet responsum promitere nobis debemus, quod Alexāder Papa Rauennati Archiepiscopo dedit,* nempe: *Nos feremus patienter, si ei non obedieris quod nobis fuerit, prauis impressionibus, suggestum, & persuasum.*

SI ipsos hic simplicitate Iudicij hæc dicere, in mentem mihi cadere posset: dicerem duntaxat,

istos tum mendacia dicere, tum primos illa credere. Verum ea, quæ vbique in suis articulis vafrè interserunt, me dicere cogunt, ipsos plus nimis sibi esse cōscios, non posse, nec velle in hac causa, *aut illius Iustitiam, aut eorum aliquam sanam intentionem summo Pastori* GREGORIO *proponere, aut illi quoquomodo satisfacere.* Cum ea intentio bona esse non possit, nec ea possit reputari Iustitia, qua ipsi illius potestati derogando, atque contra illius monita statuendo, decreuerunt *mandata* GREGORII *se, nec alios ligare, aut obligare posse, nec desistendum esse à Nauarri obsequio, ac ab hæreticorum & illorum fautorum societate, & commercio.* Et quòd ipsi ista dicant, aliísque ea credenda etiam vi adhibita, proponant, non quòd ipsi iniustè se agere, decernere, mandare non intelligant: Non quòd non videant in his summo Pastori satifacere non posse: sed quia volunt, ea ratione, *sua iniustè acta cooperire, & vt Nauarro quo iure, qua iniuria adsistat,* & ad occupandum Regnum, & Catholicam Religionem abolendam, auxilientur: illa illis quos subditos habent, *suasionibus, mēdaciis, circuitionibus, dolo, atque vi, velint nolint credenda, suscipienda, atque seruanda, proponunt, atque pro lege sacrosancta ingerunt.* Et verba ideò Alexandri detruncata referūt, vt ex illis ita recitatis, suadere niti possint, GREGORIVM summum Pontificem, Alexādri exemplo, palinodiam esse recantaturum: & contrarium his decreturum, quæ in monitorialiblus suis literis, monuerat, atque manducauerat. Et subdolè maximi ponderis aliquid dicere videri volunt, vt apud Nobilitatem, & populos eleuent GREGO-

RII

RII auctoritatem. Cùm in veritate ipſa Alexandri Pontificis verba, ſi integra recitentur, ipſos, vt inobedientes, & contumaces, pœnitus condemnent, atque letaliter iugulent. Alexander itaque Archiepiſco Rauennati ſcribens, dicit: *Qualitatem negotij, pro quo tibi ſcribitur, diligenter conſiderans, aut mandatum noſtrum diligenter adimpleas, aut per literas tuas, quare adimplere non poſſis, rationabilem cauſam prætendas. Quia patienter ſuſtinebimus, ſi non feceris, quod praua nobis fuerit inſinuatione ſuggeſtum.*

c. ſi quãdo. x. de reſcriptis.

Deſcripſi, ad verum, Alexandri Pontificis formalia verba; vt videri planè poſſit, quàm malè, Conuenticulum hoc cleri, qui clerum Catholicum deſeruit, finalia Alexandri verba, in GREGORIUM XIIII. conſiderauerit. Quod vt clarè demonſtretur, ponderanda ſunt quæ fieri mandat Alexander, & quid ipſum conuenticulum fecerit. Alexander mandat Rauennati, primò, *vt diligenter quale negotium ſit, de quo ipſi ſcribit, conſideret*: vt mandati agnoſcat magnitudinem, ac pondus: Iubet ſecundò, *vt diligẽter mandato pareat, vel ſi parere non poſſit, rationabilem cauſam, quare non poſſit, per ſuas literas reddat*, Subdens tertiò, *ſe patienter laturum ſi ipſe Rauennas id non fecerit, quod mala alterius ſuggeſtione Alexander ipſe mandauerit. Spondet nempe, ſe non moleſtè laturum ſi non obediatur, ſed tunc, cum demonſtratum fuerit ſe fuiſſe ſiniſtrè inſtructum*, & ideò ea mandaſſe, quæ mandare ius non erat: & vult rationabiles cauſas de hoc ſibi reddi: nõ enim omnibus cauſis acquieſcit, ſed vult quod cauſæ, quare nõ pareatur, veræ ſint & rationabiles: *Interim verò vult mandato pareri: vt enim pareretur diſertè prius*

mandauerat. Et eapropter aut causa non paritionis danda erat, aut exactè parendum, aut saltem antequãm causas daret, & illas Põtifex vt rationabiles reciperet, nihil esset cõtra mandatum faciendum.

CONVENTICVLI autem religiosi primo Pontificis Alexandri dicto plenissimè satisfecerunt. GREGORII vtique summi Pastoris monitionis literas, summa diligentia, sollicita cura, & indefesso cum labore, perlegerunt, considerauerunt, & illarum intimos sensus, sæpius conuenientes, atque conferentes, sunt perscrutati. Verùm cum negotij qualitatem assequuti fuissent, indubitatè agnouerunt, *Aut deserendum fore Nauarrum, Aut vale esse dicendum Catholicæ Ecclesiæ, & summo Pontifici, illiusq; obedientiam deserendam, atque inficiendam supremam Potestatem:* & secundo ideò Alexandri dicto, obsequium requirente, nequaquam arriserunt: censuerunt enim, amplexi pœnitus diuersam sententiam, *minimè fore obediendum*, & se præcipitantes in deterius, *alios monendos fore*, aut verius seducẽdos, *ne obediant*, decreuerunt. Atque vt illos decipiant, *falsò dicunt summum Pontificem mandare id non posse, quod mandat, nec posse quidem se, aut alios, qui sub Nauarri* (Regem ipsi dicunt) *potestate degunt, aut interdicere, aut suspendere, aut excommunicare.* Dicunt inde *reseruare sibi, repræsentandam, & ad sancti Patris aures insinuandam suæ causæ Iustitiam, suamq; sanctam intentionem, vt Sanctitati suæ satisfaciant.* Et rursus hoc dicto, à tertio Alexandri monitu longè secedunt: etenim dum Alexander obedientiam mandat, *isti & sibi, aliis inobedientiam indicunt.* Dum mandat ille causas inobedientiæ

dientiæ rationabiles proponi, si non obediatur, isti cum causas rationabiles nullas, nec habeant, nec proponant, nihilominus vt iustas illas habere videantur, vt miseros, quibus præsunt, circumueniant, *se illas apud Pontificem proponendas reseruare* obganniunt. Nec dicere erubescunt, quod illis sanctissimo Patri expositis, à sua Sanctitate tale responsum habere sperant, quale Rauennati Archiepiscopo Alexander Pontifex dedit: nempe, *Patienter sustinebimus si non feceris, quod praua nobis fuerit insinuatione suggestum.* Et nec à versutiis, nec à mendaciis se abstinent, vt Nauarri, suámque causam bonam esse persuadeant. Non enim Alexander tale dedit responsum, sed tale se daturum dixit, si Rauēnas iustas inobedientiæ suæ rationes proponeret. & hæc inter se non parum differunt: non enim ignorabat Pontifex, Rauēnatem nullas non obediendi causas iustas habere, atque ideò illa verba non ad suggerendam excusationem Rauennati, sed ad illius potius confusionem eruendam, protulit. Et eapropter cum Rauennas nullas proposuisset causas, non potuit Alexander tale responsum illi dare, quale isti datum fuisse pro indubitato supponunt. At rogo vos, Conuenticuli Patres, ingenuè dicere quale ab Alexandro expectaretis responsum, si id vobis mandasset Alexander, quod iussit GREGORIVS: & vos ita cum Alexādro egissetis, vt cum GREGORIO egistis? Si verum fateri non est vobis piaculum, scio diceretis, *non sperare, sed timere, ne diceret* Alexander id, quod, vt muneri suo satisfaciat, licet inuitus, & dolens, dicet summus Pontifex GREGORIVS,

nempe: *Non auditis vestris rationibus, quas nullas nec proponitis, nec habetis: Nec cognitis intentionibus vestris bonis, quas cum praua sint, & in reprobum sensum datæ bonas demonstrare non potestis: Sed cognita vestra contumacia, qua à Nauarri obsequio desistere pertinaciter recusatis: cognita vestra superbia, qua mea paterna mandata negligitis, & impugnatis: cognita vestra impia temeritate, qua edita declaratione aliis, vt illa parui faciant, & spernant, iniungitis, & non ex ignorantia, sed ex proposito, & indurata prauitate, schisma fabricatis: Ego vos inobedientes, & rebelles, ac scindentes Ecclesiæ Catholicæ vnitatem, diuinæ, atque humanæ Majestatis reos, in pœnas legum, & sacrorum Canonum, incurrisse declaro, & anathemate ferio: vlterius progressurus, nisi resipiscatis, & pœnitētes ad Ecclesiæ gremium humiles, & gementes redeatis.*

TANDEM monent Conuenticuli, *esse orandum pro Nauarro, vt fiat Catholicus, & ad Romanam Catholicam Ecclesiam reuertatur:* & publicè ideò denunciant illum adhuc esse hæreticum: licet vt dicunt, ante duos annos, ab illo, se Catholicum declaraturum, spem habuerint: dicebant prius *illum promisisse*, nunc autem *lenientes verbum*, *promitto*, *dicunt spem tantum dedisse*: dum nihilominus ipse Nauarrus contrarium protestatur. At omnes tendunt ad idem, quippe Nauarrus, vt confirmet hæreticos: Conuenticuli verò patres, vt decipiant Catholicos, vt est sæpiùs dictum.

FINALITER, ex Conuenticulo Carnotensi, die 2. Septēbr. anno 1591. Iidem Patres *Curatis omnibus, illorumq; Vicariis iniungunt, vt declarationem hanc publicent, & in Ecclesiarum valuis*, ad miseros populos illaqueandos, *affigant*.

CON

CONFVTATIO PRAETENTIONVM, QVIBVS POTISSIMVM,

Pseudo-Parlamentum Turonense, & Carnotense Conuenticulum, schisma construentes, Regnum Franciæ, & Ecclesiam Gallicanam, à summi Pontificis obedientia diuertere: atque ab Ecclesia Catholica separare, nituntur.



VM equidem, calumniosas illas iurium, & immunitatum, prætensiones, quibus Turonenses pseudo-Iudices, GREGORII summi Pontificis monitoriales literas nullas esse decernerent; & Conuenticuli Patres, nullitatem extendentes, tam in forma, quàm in materia; illã inesse declararent: ego ad commodiorem locum, pertractandas remisissem; Atque hic is sit, tum commodus locus, tum campus latus, quo, non alio distractus animus, illas tractare, discuteréque, & illarum falsitatem assequi, & demonstrare planè possit: non amplius differendum esse ratus, rem ipsam adgredior.

DICVNT

Dicvnt itaque ſchiſmatici Turonenſes, *literas eſſe nullas, abuſiuas, plenas fallaciarum, & impietatum, atque cõtrarias, ſanctorum Decretorum, Iurium, immunitatum, ac libertatum Eccleſiæ Gallicanæ.* Hæc illi ſuperius: Quos ferè ſtatim ſequuti ſunt Carnotenſis Conuenticuli Patres, dicentes.

Agnovisse ſe Pontificis *Monitiones, interdictiones, ſuſpenſiones, & excommunicatienes, eſſe nullas, & iniuſtas: nempe agnouiſſe ex antiquitate ſcripturæ ſanctæ, ſanctorum Decretorum, Cõciliorum generalium, conſtitutionumq́, canonicarum, atque exemplorum ſanctorum Patrum, quibus plena eſt antiquitas,* & addunt: *Necnon ex iuribus, & libertatibus, Gallicanæ Eccleſiæ, quibus vſi ſunt, & ſe defenderunt Epiſcopi, prædeceſſores noſtri, contra ſimiles auſus* (Gallicè dicunt entreprises) *ac ex impoſſibilitate executionis dictæ Bullæ, ob innumerabilia inconuenientia, quæ ſequerentur, in Religionis noſtræ præiudicium, & ruinã.* huc vſque illi.

Ostendi ſupra, dum contra Turonenſes ageretur, monitionis literas nec nullas, nec abuſiuas, eſſe: tum quia ab eo emanaſſent, qui illas decernendi legitimam poteſtatem haberet: tum quia aduerſus hæreticos, hæreticorumque fautores, in ſe monitiones continerent, iuxta Chriſti, Apoſtolorum, & antiquorum Canonum ordinationes, & Decreta. Et nihilominus ad maiorem veritatis claritudinem, me de his latius dicturum eſſe ſpopondi. Dum verò contra Carnotenſe conuenticulum diceretur, eadẽ confirmaui, oſtendens literas ipſas, tã in forma eſſe validas, quàm in materia. & non eſſe nullas, vt ipſi intonabãt: & tamẽ cũ aliquid etiam de illis me tractaturum receperim.

Dico,

Dico, quòd tam Carnotenses, quàm Turonenses, dicent forsan in contrarium, quòd suspensiones interdicta, & excommunicationes, validæ dici minimè possunt, nisi præcedat valida monitio; id quod nos etiam superius firmauimus: & quę valida sit monitio, ostendimus. Et addent, quod vltra ea, quæ ibi sunt dicta, necesse est, vt is, qui monendus est, etiam nominatim moneatur, vt constituit, in Cõcilio generali Lugdunensi, Gregorivs X. his verbis:[1] *Ad tollendum omnem ambiguitatis scrupulum, declarantes decernimus, ita demum esse monitionem caconicam in hoc casu, si aliis ritè seruatis, eos, qui monentur, exprimat nominatim.* Sed in literis monitorialibus summi Pontificis Gregorii XIIII. nullus nominatim monetur, vt ex earum inspectione videri potest: sunt igitur ipsæ literæ, ob non seruata requisita, in sua forma, nullæ.

[1] c. constitutionẽ. sent. excom. in 6.

Rvrsvs, quòd nullæ sint etiam in materia, dicent forsan: in literis continentur monitiones, suspensionoum, interdictorum, & excommunicationum: *Sed in Francia, neque Reges, neque eorum officiales, possunt excommunicari, nec Ciuitates, aut Populi interdici, obstantibus iuribus, immunitatibus & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, & Regni:* Sũt igitur ipsę literæ in sua materia etiã nullæ: & nullæ ideò sunt tam in forma, quàm in materia: vt sentiunt Turonenses, & verbis apertis proclamant Carnotenses.

Speciose dicerent, si hæc verum continerent, sed quia assumpta falsa sunt, falsa sunt etiam, & non vera ea, quæ ex illis astruuntur.

Et primò, quò ad formam: Procul omni dubio, ad

bio, ad formæ validitatem *regulariter requiritur, quod monitio fiat nominatim.* Sed hoc locum habet in Iudicibus inferioribus, vt ab ipsis nullus grauari possit; vtque ex æquiuoco, omnis grauandi tollatur occasio. *At hoc in summo Pontifice fallit*, in quo, cum Princeps sit absolutus, *nullæ requiruntur formalitates, aut solemnitates, sed duntaxat requiritur, vt de ipsius voluntate appareat*, nullus enim ligatus est positiuis legibus.[1]

Praeterea, literæ ipsæ satis nominatim monent, cum moneant omnes, qui Nauarrum sequuntur, aut illi præstant fauorem, & auxilium. *Et qui omnes dicit, nullum excludit,*[2] *sed comprehendit omnes:* & non potest ideò in illis æquiuocum vllum cadere, & ita ipsæ literæ omnes monent, ac si ipsorum vnusquisque nominatim monitus fuisset: *Cùm paria sint aliquid nomine proprio dici, aut ita designari, vt de illo dubitari non possit.*[3]

At ad tollendum omne non solum dubium, sed dubij suspicionem; Gregorivs XIIII. *præscribit in suis literis formam, quæ debeat in executione seruari, decernitq; illam, ita executioni datam, validam esse, ac si quis esset monitus nominatim.* Et est in intimatione seruata forma illa: illa ideò attendi debet, & non alia. Cùm summus Pontifex Dominus sit absolutus Iuris positiui, & possit illi ad libitum derogare atq; etiā illud abrogare in totū.[4] Et maximè ex iusta causa, vt est in casu nostro, in quo tū ratione multitudinis monēdorum, tū ratione non tuti accessus ad illos, *formā datā à* Gregorio X. *seruari erat impossibile.* Si enim illa attēdēda fuisset: Monitio, quæ erat illis necessario facienda, fieri nun

1 *Bon. gl. in c. fi. in verbo, mētio de offic. legati. in 6.*
2 *L. quod nullas. l. omnes actiones. l. in eo. l. in toto. ff. de reg. iur. c. in toto. vbi Ioann. Andr. in glo. fin. c. plus semper. eodē tit. in 6.*
3 *L. certū. ff. si cert. petat.*
4 *ca. 1. de constit. in 6. bon. gl. in c. 1. in verbo, quibus. extra eo. tit. c. proposuit. de concessio. præben. l. nō est nouum. ff. de legib.*

ri nunquam potuiſſet, & fuiſſet ideò vanus omnis Pōtificis GREGORII XIIII. conatus, ad illos ad Catholicam Eccleſiam retrahendos, qui Nauarro adhæſerant.

ES T igitur Monitio in ſua forma valida, non obſtantibus dicto cap. conſtitutionem, ſuprà regiſtrato, nec aliis quibuſcunque, quæ poſſent à pſeudo-Iudicibus Turonenſibus, atque conuenticulis Carnotenſibus fingi, atque ſomniari.

FORMA autem intimationis à ſummo Pontifice GREGORIO XIIII. data, eſt talis: *Vt autem præſentes noſtræ litteræ ad ipſorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & Prælatorum, necnon Capitulorum, Collegiorum, & Conuentuum, atque aliarum ſupradictarum perſonarum, notitiam faciliùs perueniant, ſeu peruenire poſſint, eaſdem noſtras Literas, tam in alma vrbe noſtra, in Lateranenſis, & Principis Apoſtolorum Baſilicarum, & Cancellariæ Apoſtolicæ valuis, ac in acie Campi floræ per aliquem ex Curſoribus noſtris, quàm etiam in partibus Regni Frāciæ, in valuis ſex infraſcriptarum, videlicet Lugdunenſis, Rothomagenſis, Pariſienſis, Aurelianēſis, Toloſanæ, & Aquenſis, vel ſaltem quatuor ex eis, vel aliarum in eodem Regno Franciæ conſiſtentium Cathedralium, vel Metropolitanarum Eccleſiarum, more ſolito legi, & publicari, & inibi affigi, & per aliquod temporis ſpatium affixas dimitti, eiſq; poſtmodum inde detractis, earum exempla in eiſdem locis pariter affixa relinqui, mandamus. Decernentes, vt earundem literarum publicatio ſit facta, ſupradictos omnes, & eorum quemlibet perinde arctet, obliget, & afficiat, ac ſi literæ ipſæ eis, vel eorum ſingulis lectæ, & perſonaliter intimatæ, atque inſinuatæ fuiſſent,*

cùm

cùm non ſit veriſimile ea, quæ tam patenter & publicè facta fuerint, ipſos poſſe quomodolibet ignorare.

AD oſtendendam nullitatem literarum monitorialium in *Materia*, Turonenſes recurrunt *ad contrarietatis ipſarum literarum cum ſanctis Decretis, Iuribus, immutatibus, & libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ.* Carnotenſes verò, poſt multa alia, dicũt, agnouiſſe illas *nullas ex iuribus, & libertatibus Gallicanæ Eccleſiæ.*

DE ſanctis Decretis diximus ſuprà, & infrà dicemus, cum cæteris, quæ cumulant Carnotenſes: & interim inſtabimus ſolum in his, quæ ambo *de iuribus dicunt, & libertatibus* Eccleſiæ Gallicanæ. Sed quia nihil dicunt, niſi in genere, & ambiguè, & nihil aliud cõcludere, aut facere poſſunt, quàm populos, & incautos decipere: ideò ipſos ex anfractibus ad plana trahere è re eſſe decreui, vt poſſimus impoſturas patefacere, & venari, atque aſſequi veritatem. Quod vt fieri commodè poſſit, rurſus videndum eſt, quid Põtifex in literis ſtatuat, & quæ iura ſunt, quæ immunitates, quæ libertates Gallicanæ Eccleſiæ, vt videantur hęc eſſe, vel non eſſe, inter ſe contraria.

PONTIFEX, vt eſt centies dictum, prohibet duntaxat communionem cum hæreticis, & adſiſtentiam ad illos: minatur excommunicare inobedientes, & aliquos excommunicatos declarat. Vt autem, iura, & libertates Eccleſiæ Gallicanæ ſint dictis contraria, neceſſario ex illis debet Pontifex impediri, aut quemquam monere, at aliquem pœnas incurriſſe declarare, poſſe.

AT ſummum Pontificem poteſtatem omnem in Eccle

in Ecclesiam à Christo habere, est verbis tam apertis à Christo enunciatum, vt id in dubium reuocari minimè possit. Verba enim illa: *Quodcumque ligaueris, aut solueris, super terram, erit ligatum, aut solutum, & in cœlis:* Manifestissimè id declarant. *Ligare enim, & soluere, est leges condere, easq́; pro sua prudentia, & arbitratu moderari, & si id res poscat etiam abrogare.* Adeò vt quamcumque legem summus Pontifex hominibus dederit, ea, vt Sepulueda apud Sanderum, ait: [1] *auctoritate Dei confirmabitur, & rata erit.* Rursus & id demonstrant illa verba: *Pasce agnos, pasce oues meas.* Pascere enim agnos & oues, *est credentes in Christum ne à fide deficiant, confirmare, terrena subsidia, si necesse est, subditis ministrare, exempla virtutum impendere, aduersariis obsistere,* vt Pelagio placet [2], *atque corrigere subditos errantes.* Summo enim Pontifici in eo, quod Pontifex est, *competit essentialiter, & per se,* Christianum populum deducere ad virtuosam vitam, ad gratiam, & charitatem, in via, vt peruenire, in patria, possit ad gloriam: cum Pastor, & custos sit dominici gregis: & id, vt Pelagius idem dicit, [3] absque cognitione, & correptione morum, inflictionéque pœnarum, quibus coërcentur mali, & boni quietantur, fieri minimè possit: ciues quippe Reipublicæ Christianæ ad vitam virtuosam ducere. Et cum vnica duntaxat sit Ecclesia, certè in vniuersa ipsa Ecclesia potest facultates has omnes suas summus Pontifex explicare: potest igitur etiam in Francia, & in Ecclesia Gallicana, si Gallicana Ecclesia schismatica non est, sed Ecclesiæ Catholicæ est nobile membrum. Et est eapropter

1 *de visib. monarch. lib. 7. nu. 1483.*

2 *de plāctu Eccles. c. 55. li. 1.*

3 *eod. lib. ca. 40. c. facta sūt. 4. dist.*

necessarium, vt ea Gallicanæ Ecclesiæ iura promantur, quibus impediri Pontifex possit, vt in ea illas explicet.

NAMQVE aut Turonenses, & Carnotenses, prætendunt Gallicanam Ecclesiam impediendi Pontificem immunitates has, & iura, habere à se ipsa; & aut errant satis crassè, aut aliis imponere curant, cum à se ipsa iura illa habere dicere non possint, nisi ipsam schismaticam fateri velint. Quia cum Catholicæ Ecclesiæ membrum sit, & non caput, necessario à suo capite regi debet, & capitis sui legibus subdi: cum vnica tantum data sit Ecclesiæ potestas, & illa sit, vt ex illo fluat in membra, in suo capite stabilita.

AVT volunt dicere iura illa Gallicanam Ecclesiam habere ab alio: & cum illa nō habeat à Christo, qui vnicam duntaxat dedit Ecclesiæ suæ vnicæ omnem potestatem, & illa soli Petro dedit, & in Petro suis successoribus, vt flueret in alios, nec potestas illa possit ab aliqua vi naturali concedi, vt est suprà latè [1] dictum: superest, vt, si illam habet, habeat à summis Pontificibus: & debent igitur illa iura, & immunitates, quæ ex priuilegio haberi dicere volunt, & ab ipsis probari, [2] cum non præsumantur.

[1] *pag. 5. & seq.*

[2] *L. 2. ff. de proba.*

QVINIMO nec credi debent: Quia licet Ecclesia Gallicana nobile membrum sit Catholicæ Ecclesiæ, & quæ Catholicam fidē, & Religionem amplexa, perennè incorruptam retinuit, licet religiosissimorum Monasteriorum sit referta, & ex his semper exierint plures sancti viri: licet in Regno sint Senatus plures, plures vniuersitates; licet

in Regni

in Regni capite Lutetia floruerint semper omniũ bonarum artium facultates, & ex facultate Theologica Sorbonici Patres, Romanæ Religionis vindices, ab omni hæresum labe illam sartam tectam semper conseruarint; & sit in ea Iuris dicũdi amplus, & augustus Senatus; licet Franci Reges de Religione Catholica ita bene meruerint, vt Christianissimi, & sanctæ Sedis Apostolicæ Filij primogeniti sint semper habiti:& à summis Pōtificibus, tam Reges, quàm Regnum & Ecclesia, vt tot Reges pij, & Illustres, tot sancti viri, tot eximij Senatores, tot benemeriti Sacerdotes, tot industrij facultatum omnium professores, ornarentur, fouerentur, ac releuarentur, multis, & insignibus priuilegiis sint donati: ea tamē priuilegia concessa illis fuisse existimari debet, quę ornamento illis forent, & auxilio, illorumq; augerent dignitatem: non autem ea, quæ Catholicā ipsam Ecclesiam deformarēt, atque destruerent. Namq; si priuilegium illud, quod summũ Pontificem Reges, eorumque officiales excommunicādi, Ciuitates, & Collegia, interdicendi, at quemuis suspendendi facultate priuaret, concessum fuisset, vt Turonenses, pseudo-Iudices, & conuenticulum Carnotense cōcessum fuisse mussitant, certè Ecclesia, summíque Pontificis auctoritas, deformarentur. Et similia ideò priuilegia à Pontificibus, in suæ potestatis, & Ecclesiæ Catholicæ præiudicium, & interitum, nō concedi affirmat Cosmas [1] Guymier vir Gallus, & doctor insignis.

1 In commentario prag. san. tit. de ele. in verbo, alteri. in fi. decreti. incip. sicut in cōstruenda domo. l. iubemus nullam. c. de sacrosanct. Eccl. c. cũ instantia. de censib.

At plus intrepidè dico, quòd si concedere voluissent, minimè concedere id priuilegium summi

Pontifices potuissent. Cùm facultas excommunicandi, & interdicendi, vis sit, & substantia penè tota illius potestatis, quam Christus suis Vicariis, & gregísque sui pastoribus virtute verborum: *Quodcumque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis*. Et illorum ad Petrum: *Pasce agnos, & oues*, ex terris recessurus reliquit: quibus verbis Petrus, & summi Pontifices, in terris consequuti sunt Christi vices, & gregis Christi Pastorale munus: & non potuissent ideò potestatem illam ab se ablegare, quin muneri Pastoris cessissent, & vices Christi abnegantes, pœnitus illius gregem, sine custode, lupis reliquissent in præda. Verba enim illa adeò sunt prægnantia, vt non solum leges condere, benemerentibus præmia dare, & nocentes punire, sed, vt vno verbo dicam, totalem Ecclesiæ sanctæ gubernationem complectantur: & sunt adeò eæ facultates inter se connexæ, vt vix altera ab altera separari possit. Si enim posset summus Pontifex similia priuilegia concedere: sequeretur, vt in corpore Catholicæ Ecclesiæ *hæreticos, vt hæretici sunt*, pati posset; illósque non posset communione sacramentorum priuare, atque extra Ecclesiam facere: Quod audire abhorrent Catholicæ aures. Non enim vbi Christus est, ibi potest esse diabolus, ex concessione maximè Vicarij Christi: Absit igitur vt Pontifex aliquis id fecerit, aut in sui, suorúmque successorum præiudicium facere potuerit. Non enim id non posse, defectum dicit, sed summam perfectionem in summo Pontifice.

VERUM, an ea de facto concesserint priuilegia,

gia. non aliunde clarius colligi poteſt, quàm ſi ea priuilegia, quæ Reges Franciæ, Gallicanáque Eccleſia habuerunt inſpitiantur.

At ſi vniuerſa ea priuilegia, quæ in Pragmatica ſanctione iam continebantur; ſi quæ continentur in concordatis, quæve congeſta ſunt in his 85. articulis, quæ pro libertate Gallicanæ Eccleſiæ, fuerunt à Pariſienſi Senatu Ludouico XI. Regi oblata; ſi quæ ſunt relata à Ioanne Ferault, in tractatu de priuilegiis Regni Franciæ; à Carolo de Craſſalio, in tractatu de quadraginta altis Iuribus liliorum; à Iacobo Bonaudo, in ſuo Panegyrico; & aliis, curioſè reuoluantur, ſimile priuilegium, ni fallor, inueniri nunquam poterit. Omnia enim, quæ Eccleſiam concernunt, aut de electionibus ad Prælaturas, & beneficia, aut de Annatis, aut de aliquarum cauſarum cognitionibus, & ſimilibus loquuntur. De excommunicationibus verò, ſuſpenſionibus, & interdictis, à ſummo Pontifice fulminandis, ne verbum quidem, quod illis deroget, inuenietur.: vt videri apertè poteſt ex illis, quæ omnia iam diu ſunt impreſſa: & eorum pars in libro Stili Curiæ Parlamenti, poſt regias Conſtitutiones, ſub titulo de priuilegiis Apoſtolicis Regi conceſſis, pars alibi à diuerſis ſcriptoribus, eſt regiſtrata: & apertis verbis, in eis, expreſsè ſemper ſummus Pontifex, illiúſqne auctoritas, excipitur, & reſeruatur. Ipſa itaque pro habenda veritate, inſpiciamus: ſunt enim huiuſmodi.

GREGORIVS PAPA Regi Francorum.

ILLA *filialis deuotio. & infrà. Probibemus vt nulli liceat Capellas tuas supponere interdicto : Nisi de licentia Sedis Apostolicæ speciali. Datum apud Vrbem veterem. Pontificatus anno secundo. Hic est Gregorius IX. Rex verò Franciæ sanctus Ludouicus.*

GREGORIVS EIDEM.

APOSTOLICAE *Sedis benignitas. & infrà. Ad instar fœlicis recordationis, Innocentij Papæ prædecessoris nostri, auctoritate Apostolica, tibi tenore præsentium indulgemus, vt nullus in terram tuam excommunicationis, vel interdicti sententiam proferat, absque mandato Sedis Apostolicæ speciali. Datum apud Vrbem veterem, Pontif. anno decimo.*

CLEMENS PAPA LVDOuico Regi Francorum.

A FOELICIS *recordationis Alexandro, & Vrbano, prædecessoribus nostris Serenitati tuæ fuit olim indultum, ne à quoquam Iudice delegato, & ordinario terra tua posset Ecclesiastico subijci interdicto : & cùm à nobis postmodum ad Apostolatus apicem assumptis, indultorum huiusmodi innouatio per tuos Nuncios peteretur, Nos annuisse meminimus votis tuis, & eandem gratiam innouasse, verbis aliquibus additis, quæ ad terram tui*

ram tui

ram tui Domanij arctare videbātur eandem: licet autem te postea de adiectione huiusmodi conquerente, Nos tandem eorundem prædecessorum nostrorū Vrbani, & Alexandri, vestigia imitati, ipsorum innouauimus Indulgentias, adiectione prædicta sublata. Et statim remouens quod adhuc aliqui interponebant dubium. sequitur: *Nos igitur nil pœnitus intendentes puræ detrahere, vel adijcere veritati, interpretationem illam, si tamen interpretatio dici debeat, quam per verba prædicta, de tuo Domanio, prædecessorum indulgentiis supradictis fecisse dicimur, pœnitus reuocantes, haberi volumus pro infecta. Datum in Vrbe, Pontificatus anno secundo.*

HOC priuilegium longè post GREGORIVS XI. confirmauit sub certa conditione, dicens:

ITA *tamen, quod quæcumque exactiones, impositiones, & gabellæ, quo ad quascumque personas Ecclesiasticas, de quibuscumque rebus ipsarum, quas excepta negotiationis causa, qualibet fraude cessante, deferri faciunt, in prædictis terris cessent. Datum in Auinione, Pontificatus anno secundo.*

HIC de necessitate est GREGORIVS XI. Quia nonus, & decimus nunquam adierunt Auenionem. Rex autem Franciæ Carolus V.

PRO robore autem, & obseruantia prædictorum priuilegiorum, ad Philippi Regis, Ludouici sancti Filij petitionem, GREGORIVS X. conseruatores dedit, vt in Bulla infrà posita habetur.

GREGORIVS SANCTI Dionysij, in Francia, & sancti Germani de Prato, Monasteriorum Abbatibus.

CVM sicut ex parte charissimi in Christo filij nostri Philippi, illustris Regis Franciæ fuerit propositum coram nobis, quòd nonnullæ indulgentiæ, & nonnulla priuilegia sibi, & Clericis suis à Sede Apostolica sunt concessa: discretioni vestræ per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos, vel alter vestrum, per vos, vel alium, seu alios, non permittatis eundem Regem, ac prædictos Clericos suos, contra indulta priuilegia, & indulgentias huiusmodi, ab aliquibus indebitè molestari; molestatorem huiusmodi, per censuram Ecclesiasticam (appellatione postposita) compescendo. Datum apud Vrbem veterem, Pontif. anno primo.

VLTRA hæc priuilegia sumpta, vt est dictum, ex titulo, de priuilegiis Apostolicis Regi concessis, post Regias ordinationes, in Stilo Curiæ Parlamenti, Papyrius Massonus, in suo V. libro de Episcopis Vrbis, qui Romanam Ecclesiam rexerunt, in vita Alexandri IIII. recitat integrum priuilegium, quod Diuo Ludouico concessit ipse Alexander; illud nempe de quo suprà Clemens IIII. loquitur, sub istis verbis:

ALEXANDER *seruus seruorum Dei, charissimo Christo Ludouico, illustri Regi Franciæ, salutem & Apostolicam benedictionẽ. Cùm sicut ex parte tua nobis extitit*

extitit intimatum, fœlicis recordationis Innocentius Papa prædecessor noster per suas tibi concesserit literas, vt nullus in terram tuam excommunicationis, vel interdicti sententiam proferret: Nos eiusdem prædecessoris vestigiis inhærentes, excellentiæ tuæ auctoritate præsentium indulgemus, vt nullus prædictam terram vniuersaliter Ecclesiastico subyciere valeat interdicto, sine mandato Sedis Apostolicæ speciali, & post Decretum irritans. *Datum Anagniæ, Pontificatus nostri anno primo.*

ET subdit Massonus, *idq; rescriptum in actis Senatus Parisiensis continetur, vnde illud exscripsimus: & poteramus exscribere Clementis, Nicolai, Martini, & Clementis VI. similia ad Reges Francorum, rescripta quod breuitatis causa non fecimus.*

RVRSVS, cum aliqui Prælati, & Ecclesiastici, abutentes suis priuilegiis, alios Prælatos & Ecclesiasticos, & etiam seculares, extra Regnum, etiam ex iuribus cessis, coram cõseruatoribus dictorum priuilegiorum traherent: ad petitionem Caroli V. Regis, Vrbanus V. Lemouicensis, ait: *Vrbanus ad futuram rei memoriam, &c. ad audientiam nostram.* Et post narrationem: *Nos huiusmodi obuiare maliciis cupientes, Charissimi in Christo filij nostri Caroli Regis Francorum illustris, in hac parte, supplicationibus inclinati, tenore præsentium statuimus, ac etiam ordinamus:* Inhibet aliquem extra Regnum trahi, & subdit. *Dictiq; conseruatores contra constitutionem, & ordinationem nostram huiusmodi, contra aliquos procedere, aut in aliquos, vel aliquem excommunicationis, suspensionis, vel interdicti, sententias promulgare non valeant, vel præsumant. Datum Massiliæ, Pontificatus anno V.*

F 5

PRIVILEGIA verò supra registrata ex Regiis thesauris extrahi, & exscribi se fecisse, testatur Carolus V. Rex, dicens.

CAROLVS REX FRANCORUM, Seneschallis Tholosæ, Carcassonæ, Bellicardi, & aliis Iusticiariis.

CERTAS *Bullas Papales de nostris thesauris extrahi fecimus, & copiari, quarum tenores sequuntur, & sunt tales. Gregorius: Apostolicæ Sedis, &c. Clemens: A Fœlicis, &c. Vrbanus: ad futuram, &c. quæ supra sunt inserta. Intelleximusq́; quod Archiepiscopi, Episcopi, & cæteri Prælati Seneschalliarum & Iurisdictionum vestrarum, Iurisdictionem habẽtes spiritualem, contra tenorem Bullarum prædictarum, in nostri, & subditorum nostrorum præiudicium abutẽtes, attentare non formidant, quod nobis displicuit, & displicet in immensum. Quocirca vobis, & vestrũ cuilibet, prout ad ipsum pertinet, districtè præcipiendo mandamus, quatenus omnibus, & singulis Iurisdictionum, & Seneschalliarum vestrarum Prælatis, & eorum Vicarijs, & officiarijs, cæterisq́; Iurisdictionem habentibus, præmissa specialiter intimetis: & notanter inhibeatis eisdem, & eorum singulis. Datum Parisijs, Anno Domini 1367. Regni nostri quarto.*

SED licet ipsa priuilegia clarè cantent, ij tamẽ, qui de iliis tractant, non minus apertè, pro summo Pontifice, eiúsque auctoritate, testimonium dicunt.

IOAN

IOANNES VTIQVE Ferault in dicto suo tractatu ait:

SEXTVM *sanctum, ex gratia Dei procedens, ius altum est, quod licet Principes seculares possint excommunicari, & excommunicati declarari.* & statim. *Rex tamen Franciæ à quocumque, maximè Regni sui, Antistite, non potest excommunicari, nec excommunicatus declarari.*

CAROLVS DE CRASSALIO in prima parte dicti sui tractatus.

NONVM *ius altum, & præcipuum, Christianissimi Francorum Regis, in Ecclesia sancta Dei, Iurisdictionem spiritualem concernens, est, vt excommunicari, vel Regnum suum interdici non valeat, vel possit,* Extendit infra, hoc ius ad officiarios Regis, & tãdem dicit.

SANE *tamen est istud priuilegium Christianissimi Regis intelligendum, vt excommunicari non valeat à Prælatis Ecclesiæ inferioribus à Papa, secus verò in excommunicatione ipsius Papæ. Quia nec per priuilegium potest quis ab eius potestate eximi, sicut nec à potestate Dei, cuius est Vicarius, & locumtenens,*[1] *quia sic esset eximere à potestate Dei, quod est absurdum.* Et dicit ideò ex mente Io. Andreæ, Panormitani, & Felyni, quod priuilegium non valeret.

[1] *c. 1. & de translat. Episcopi.*

IACO

IACOBVS BONAVDVS in Panegyrico in principio.

ALIA *& singularis, & penè diuina dote Rex redimitur, quod licet Principes seculares possint à suis excommunicari Episcopis, Rex tamen Franciæ à quocumq; maximè Regni sui, Antistite, non potest excommunicari, nec excommunicatus declarari.* Ex mẽte Ferault extendit priuilegium ad officiarios Regis, & inferius dicit: *Vnum tamen non omitto, quod ponit Io. Andrea in c. cum instãtia de censib. vbi dicit, se non credere, quod Papa posset aliquem priuilegiare, vt non teneatur venire ad eum, vel vt per eum non possit excõmunicari. quod ibi colum. 3. inquit Panormitanus se habere pro indubitato, quia cùm Papa teneat locum Dei in terris, non debet posse aliquem eximere à sua potestate, cum per hoc eximeretur à potestate Dei, quod esset proculdubio absurdum. Vnde contra summam potestatem Papæ non valet præscriptio. Et sic intellige iam dicta cum distinctione. Et si Princeps Romanus Põtifex de facto hoc concesserit priuilegium per importunitatẽ, aut alias quomodolibet, videlicet ne quis possit excõmunicari, suspẽdi, aut interdici, illo non obstante priuilegio, poterit illũ taliter priuilegiatum, excommunicationis sentẽtia ligare: facta tamen narratione, & mẽtione illius priuilegij.* hæc Bonaudus.

GVIL. BENEDICTI, IN c. Raynutius, in verbo, si sine liberis. 2. de testamentis, num. 44,

PRAETEREA *alio potitur*, loquitur de Rege Frãciæ, *à Sede Apostolica priuilegio, quod sentẽtia*

interdicti generalis ferri non potest, sine Papa mandato speciali. Hoc priuilegium fuit ei concessum por Gregoriũ, & Clementem summos Præsules. & addit: *Bullas huius priuilegij reperietis in registro ordinationum Regiarum Cameræ Inquestarum Parlamenti Tnolosæ, fol. 47. Immo non potest à quocumque, præsertim Regni sui, Antistite excommunicari, nec excommunicatus declarari, vt declararunt Clemens V. & Martinus Papa.* huc vsque ille.

NON me fugit Ruseum in tractatu Iuris Regaliorum, in 26. priuilegio, videri prima fronte plus dicere. dicit enim, *Ego præmissis addo, quod Stephanus secundus Papa concessit Pipino Regi, quod pro defendenda Iurisdictione sua, Rex, nec eiusdem Regis officiarij, non possint excommunicari à Sede Apostolica, vel ab ipsis Episcopis, & ordinarijs locorum:* & subdit ex relatione Benedicti, *Hoc declarauerunt Clemens V. & Martinus Papa.* Quibus verbis videtur Ruseus asserere, quod Rex non possit à summo Pontifice excommunicari. Id quod tamẽ, nec Ruseus dicit: Nec si diceret, crederẽ verum, cum & si voluisset Stephanus; id concedere minimè potuisset, vt est satis latè suprà dictum. At id non concessit Stephanus. Qui cum se in Franciam, & Charisiacũ contulisset, & in Phano Dionysij Regia corona Pipinum ornasset, sacrassétque, vt eidem gratificaretur, vtque Regnum, quod Pontificatus auctoritate, erat consequutus, in pace, ac quiete conseruare posset, non illi concessit, vt non posset excommunicari, sed sub excommunicationis cõminatione, omnibus interdixit, ne in ipsum Pipinũ, aut eius posteros, aut bella mouerent, aut

quo

quoquomodo eos inquietaret. Stephani enim priuilegium, sic refert Gaguinus.[1] *Post id tempus Stephanus 2. Pontifex Romanus, Vrbe egressus Carisiacum ad Pipinum se contulit, Pipinumq́; in Regem Franciæ sacrauit.* Et statim. *Stephanus autem vt Regi gratificaretur, Pipino benedixit, & posteritati eius, atque qui temeritate aliqua aduersus Francos bella moueret, communione Christiana interdixit.* Paulus verò Aemylius aduentum Stephani in Franciam, Pipini coronationem, & idem priuilegium referens, ait.[2] *Zachariæ interea Stephanus successit, vir sanctus, qui tunc aduersus vim Aistulfi coactus fuit Francorum fidem implorare.* Et statim. *Pipinus beneficio Pontificatus Rex salutatus, vt à Pontifice in Francia coronaretur, consecraretúrque, cum Aistulfo, clarissimis viris Rotigrando, & Antario oratoribus missis, egit, vt Stephano in Franciam ad se venienti iter daret.* Et inferius. *Pontifici in Galliam venieti officij causa amplissimus, & nobilissimus quisque ad primos fines occurrere, principe comitatus Carolo adolescentulo, cui sua virtus, fœlicitásque Magni postea cognomen indidit. & Pipinus ad tertium à Carisiaco lapidem obuiam progressus, pedes, vt ferunt, excalceatus, arceri non potuit, quin in equo sedentem ipse pedibus ad frenum prosecutus in Regiam deduceret.* Et statim. *Ad eum visendum, adorandúmque tota ex Gallia, & finitimis gentibus concursus omnium mortalium fuit. Hac celebritate Pipinum ad Dionysij Parisiorum coronauit, sacráque vnctione imbuit. Childericúmque Regem detonsum cœnobio sacrauit.* Sigibertus scribit, *Pipinum à Bonifacio Moguntinorum Episcopo viro sancto sacris initiatum, salutis anno 701. Eũdem anno post, à Stephano ipsum filiosq́; Carolum, & Carolomannum inunctos, toti soboli certũ benedicẽte, om-*

[1] lib. 4. histor.

[2] Lib. 2. histor.

niaq; fausta fœliciaq; in omne tempus, sacris cærimoniis apprecãte: simul diris detestationeq; insectãte si quis quid cõtra moliri auderet. Ita prius acceptũ ius Regnãdi, tũc quasi diuinitus confirmatũ, & immortale factũ in ea familia videbatur, vt in Pipino non minus inuictas vires formidarent mortales, quàm religionem reuererentur.

Hoc itaque priuilegiũ illud est, quod nõ solum Paulus Aemilius & Gaguinus à Stephano Pipino cõcessum fuisse, sed omnes, de re Francica illorum tẽporum scribentes, referunt; & de hoc ideò dicere voluisse Ruseus intelligi debet, cũ Guill. Benedicti alleget, & ad Clemẽtis, & Martini, Põtificũ, declarationem se remittat. Martinus enim, & Clemens, & Benedicti, idem dicũt, & declarant, quod suprà firmauimus, nẽpe quòd simile priuilegiũ Papã non cõprehendit, sed ad inferiores à Papa restringitur: & ideò si ipse Ruseus Papã comprehẽdi sensisset, nec Guillelmũ Benedicti, nec Clementẽ, nec Martinum, Pontifices, qui contrariũ prorsus dicunt, allegasset.

Praeterea si pro defendenda Iurisdictione sua, Stephanum, ne à Sede Apostolica excommunicari posset, priuilegiũ cõcessisse Pipino, Ruseus intellexisset, debiliter satis sensisset de Pontifice, quippe voluisse illud cõcedere priuilegiũ, quod in nihilo illi prodesset, cui cõcederet. Nam ius suum tueri, cuique competit à natura, nec ius illud potest per Principem tolli, cum emergat ex fonte vniuersalis Iustitiæ, cuius naturalis virtus est, ius suum cuique tribuere. & non multum ideò concessisset Stephanus Pipino, si illud per priuilegium concessisset, quod iure proprio Pipinus habebat,

bebat,& validum adeò, vt nec per aliquem ab eo auferri posset: cum *frustra precibus impetretur, quod omnibus naturali iure conceditur*.[1] Accedit, quod excommunicatio pœna est delinquentium, & non potest in aliquem infligi, qui ius suum tueatur,[2] *Cum non delinquat; nec aliquem iniuria afficiat, qui se, suumque ius defendendo, id facit, quod facere est sibi a suprema Iustitia, & a natura permissū*. Et ea propter, quicquid eius verba sonent; quæ deprauata cēseo, aut id dicit Ruseus, quod alij dicunt, vt est supra firmatum, aut quid dicat non video.

1 L. in causa, in prin. ff. de mino. l. 3. C. eo. l. penult. C. si adu. rem Iudic. L. quos retrahi, C. si aduer. libertat.

2 C. 1. C. 3. de sententia excommun.

CVM itaque suprema potestas, & ius excōmunicandi non possit a summo Pōtifice separari, neque ipsemet à se abdicare illud possit: Hoc contineant Regni, & Gallicanæ Ecclesiæ priuilegia; hoc omnes, qui de ipsis priuilegiis tractant, affirmēt; hoc idem Iustitia dictet: Certè temerè nimis Pseudo iudices Turonenses, & Carnotense Conuenticulum, ex eo, quòd summus Pontifex GREGORIVS XIIII. aut est excōmunicationem minatus, aut quòd aliquos, Nauarrum sequentes, excommunicationem incurrisse declarat, monitionis eius literas nullas in materia esse vafrè, perfidè, & iniustè calumniantur.

NAMQVE, si non posse excommunicari, proprio suo iure, Reges Franciæ & sui, habuissent, frustra Diuus Ludouicus, Philippus eius filius, Carolus V. & alij Reges, ab Innocentio, Gregorio IX. X. & XI. Alexandro, Vrbano, Clemente, & aliis summis Pontificibus, sibi, & suis cōcedi ius illud, per priuilegium, procurassent. Primus autem, vt censeo, qui pro se, suis, & Regno, ne ab inferio-

ribus

ribus à summo Pōtifice, interdici, aut excommunicari possent, procurauerit, extitit Diuus Ludouicus. & qui id Diuo Ludouico concesserint, Gregorius IX. & X. Alexander IIII. Vrbanus IIII. & Clemens IIII. extitere.

CAROLVS Apostillator ad dicta priuilegia, in eo priuilegio, quo Gregorius Papa, ad contemplationem Regis Philippi, dat conseruatores priuilegiorum, Abbates sancti Dionysij in Francia, & sancti Germani de prato, *dicit ipsum priuilegium concessum fuisse Philippo Augusto, à Gregorio octauo.* & ne ipsi diceretur, hoc esse non videri verosimile, cum Gregorius VIII. tantummodo dies 57. vixerit in Pontificatu, *ipse Apostillator hoc annotat, quasi dicens, & si tam paruo tempore Pontifex vixerit, non ex hoc sequitur, quod non potuerit, illis paucis diebus, non solum vnum, sed multa priuilegia concedere.* Sed aliud se offert, quod irrefragabiliter euincit. Gregoriū octauum non potuisse priuilegium illud concessisse. Priuilegium enim datum est X. Calēd. Aprilis: & Gregorius assumptus extitit in Pontificem, XIII. Calēd. coronatus verò, VIII. Calendas, Nouembris, & vixit, vt dictum est, Pontifex per mensem dūtaxat, & dies 27. mortuus est enim Pisis 17. Calēd. Ianuarij. Quò fit ineuitabiliter, vt non potuerit, in mense Martij, priuilegium cōcedere, qui per tres menses ante, mense quippe Decembris præcedentis, iam mortuus erat, vt de illius creatione, coronatione, & morte, *exacte notat, Onufrius Panuuinus, in suis Fastis Romanorum Pontificum, & Imperatorum.*

AT aliud est, quod mihi; in alio priuilegio, ne-

gotium facit: in illo nempe, quod incipit, *Gregorius, &c. Apostolicæ Sedis benignitas, &c. Ad instar fœlicis recordationis Innocentij Papæ prædecessoris nostri, &c. Datum apud Vrbē veterem, Pontificatus, Anno X.* Datum quidem ipsius priuilegij demonstrat necessario Gregorium IX. fuisse, qui priuilegium cōcessit, cum Gregorius VIII. non integros duos menses in Pontificatu compleuerit, Gregorius verò X. annum quintum non exegit, & Gregorius XI. per annos duntaxat septem, Pontifex fuit: & cum priuilegium dicat, *Ad instar Innocentij Papæ prædecessoris nostri,* & indicet, quòd Innocentius priuilegium simile Ludouico concesserit, de necessitate sequitur, quòd Innocentius III. fuerit, aut Innocentius IIII. qui illud concessit. At is Innocentius III. non fuit, quia per annos vltra decem obiit, antequam Diuus Ludouicus venerit ad Regnum. Successit enim ad Regnum Ludouicus, anno, 1227. & Innocentius obierat, anno, 1216. Nec potest dici priuilegiū concessum fuisse in vita Patris, & antequā Rex esset Diuus Ludouicus, quia tēpore mortis Innocentij, aut non natus erat Ludouicus, aut erat in cunis: duodecimum enim agens annum, Patris morte, deuenit ad Regnum.

Nec intelligi potest de Innocentio IIII. Quia is non præcessit Gregorium IX. sed post ipsum Gregorium, & post Cœlestinum IIII. est Pontificatum adeptus. Et est ideò necessario dicendum, aut quòd error sit in dato priuilegij, & quòd vbi dicitur, anno X. reponendum sit, anno 2. aut 3. & sic sit Innocentius IIII. concessor priuilegij: Aut quod is fuerit Innocentius III. & illud concesserit

non

non Diuo Ludouico, ſed eius Patri Ludouico, octauo, aut eius Auo Philippo Auguſto; his enim regnantibus Innocentius III. per annos 18. Pontificatum tenuit. Sed de his ſatis.

VERVM cum clarè conſtet ex dictis, nec iura, nec libertates, nec priuilegia Regis, Regni, & Eccleſiæ Gallicanæ, ſummo Pontifici, impedimento eſſe poſſe, quo minus, data iuſta cauſa, & excõmunicare Reges, & Regnum, Regníq; partes, interdicto ſupponere poſſit: Procul omni dubio, Turonenſes Pſeudo-iudices, & Carnotenſe Conuenticulum, id perfricta fronte, & ſchiſmaticè inficiantes, ea de cauſa, monitionis literas in materia nullas eſſe proclamant. Id enim non ſolum facere iure poſſunt ſummi Pontifices, ſed ſemper etiam, quando pro conſeruando Chriſti grege, retrahendóque ad ouile aberrãtes nobiliores oues, id exegit neceſſitas, paſtorali vigilantia, ſunt executi: Reges vtique & Principes anathemate ferierunt; & Regna, & Principatus interdicto ſuppoſuerunt. quæ ſæpius facta fuiſſe (cum de Francicis Regibus, Regnóque Frãcico, verba faciamus) in Regno, & Francis Regibus: ex Francicis Annalibus, ſcriptoribúſque Francicis, ſumptis teſtimoniis, plenè, ac clarè, probabo.

AGAPETVS primus Pontifex Maximus Clotarium primum, Clodouei Magni, primi ex Francorum Regibus Chriſtiani filiũ, commiſſi homicidij, ſiue potius ſacrilegij, cum ſacris loco, & tẽpore, illud perpetraſſet, excommunicationis comminatione, ad pœnitentiam, & ſatisfactionẽ adegit: & licet non illum excommunicauerit, excom-

municandi nihilominus potestatem se habere, excomminatione, ostendit. Qua de re sic Gaguinus,[1] *Fuit inter familiarissimos Clotarij aulicos Galterus Iuetotus Caletus agri Rothomagensis apprime nobilis, & qui Regij cubiculi primarius cultor esset.* Dicit aliorum aulicorum inuidia,& machinatione, Clotarij indignationem incurrisse, subdens: *Iurat Rex se hominem necaturum: præcepta Clotarij indignatione, Galterus pugnator illustris, cedere Regi irato constituit. igitur derelicta Francia in militiam aduersus religionis Catholicæ inimicos pergit, vbi decem annos multis prosperè gestis rebus, ratus Clotarium simul cum tempore mitiorem effectum, Romam in primis ad Agapitum Pontificem se contulit. A quo ad Clotarium literis impetratis, ad eum Suessione agentem se protinus confert, Veneris die, quæ parasceue dicitur: cogitans religiosam Christianis diem ad pietatem sibi profuturam. Verum literis Pontificis exceptis: cum Galterũ Clotarius agnouit: vetere ira tanquam recenti liuore percitus, rapto à proximo sibi equite gladio, hominem statim interimit. Tam indignam insignis atque innocentis hominis necem religioso loco, & die, ad Christi passionem recolendam celebri, Pontifex inæquanimiter ferens, confestim Clotarium reprahendit, monétque iniquissimi facinoris rationem habere, se alioquin excommunicationis sententiam subiturum. Agapiti monita reueritus Rex, capto cum prudentibus consilio, Galteri hæredes, & qui Iuetotum deinceps possiderent, ab omni Francorum Regum ditione, atque fide liberauit.* Inde est quod ad hãc etiam diem Iuetoti domini Reges se dicunt. & addidit Gaguinus. *Nam dominantibus longo post tempore in Normania Anglis, ortaq; inter Ioannem Hollandum*

Ang

[1] *Lib.2. histor.*

Anglum & Iuetoti Dominum quaestione, quasi prouentuum eius terræ pars fisco Regis Anglorum quotãnis obnoxia esset, Calleti Propretor, anno salutis, 1428. de ratione litis iudiciario ordine se instruens, sicut à me annotatũ est, comperisse iudicauit. Hæc Gaguinus: cuius verba sic ad longum retuli, vt ab impugnatione Nicolai Vignerij Gaguinum liberarem: & Agapeti Pontificis summam potestatem, quã Vignerius artificiosè satis impugnat, sartam tectam conseruarem. Is itaque cum retulisset immane facinus Clotarij, qui duos ex fratre Clodomiro suos nepotes propria manu necauit, inquit: *Comme recite Gregoire de Tours, qui ne faict, non plus que pas vn des autres anciens historiens François, aucune mention de l'erection & institutiõ du Royaume d'Iuetot en Normandie, laquelle les Annales & la Chronique des Rois de France, disent auoir esté faicte au mesme temps que nous estimons estre aduenu ce que nous venons de reciter, par le Roy Childebert, qui auoit occis de sa propre main dedans vn temple Gaultier d'Iuetot: dõt il fut excõmunié par le Pape Agapet, qui fut en ceste dignité l'an cinq cens trente quatre, lequel aussi (à leur dire) exẽpta les successeurs de ce Gaultier de la subiectiõ des Rois de France. Dont il n'y a doubte que ce ne soit vne fable: tant pource que la puissance des Papes & de leurs censures n'alloit à lors encores si loing, & qu'Agapet n'eut à peine loisir d'estre aduerty des affaires de la Frãce, estãt aussi tost qu'il fut esleu, enuoyé à Constantinople, où il mourut: que pource qu'il auoit plus d'occasion de l'excommunier auec son frere pour le parricide de leurs nepueux. Ioint que c'est vne* NIAISERIE *de ce qu'ils disent, que le mesme Gaultier estoit reuenu de faire la*

guerre aux Sarrazins d'outre-mer, pource qu'ils n'e-ſtoyent lors encore en eſtre.

HANC procul omni dubio fabulam eſſe dicit Vignerius, vt ex claris eius verbis manifeſtè patet, quæ etiam formalia huc, ad hunc finem, transferre volui: & id tribus rationibus firmat. Vna, quia tũc ſummorum Põtificum, illorũmque excommunicationum poteſtas non ſe tam longè extendebat. Altera ex Agapeti Pontificatus breuitate, cum à creatione fuerit ſtatim Conſtantinopolim ad Imperatorem miſſus, & ibi obiierit: vt vix de his, quæ in Francia gerebantur, notitiam habere potuerit. Tertia vrgentiori, quia dicitur Galterus cõtra Saracenos bellatum iuiſſe: cũ nihilominus illo tempore Saraceni in rerum natura non eſſent. Atque ideò ineptiam eſſe. id dicere ipſe dicit. iũcto, quod ſi Pontifex excõmunicationis fulmen in Frãciam mittere voluiſſet, maiori cum ratione, in Childebertum & fratrem, ex nece nepotũ, quàm ex Galteri morte, intorquere potuiſſet.

COGOR Vignerium, quem ego, dum Capeti originem inquirerem, diligentem ſcriptorem dixi, nunc ipſum dicere minus æquum ſummis Põtificibus, ſanctæque Apoſtolicæ Sedi, apertè ſe demõſtrare. Quia tum in ſuo ſummario hiſtoriarum Franciæ, tum in tribus magnis voluminibus ſuæ Bibliothecæ, & verba, & res geſtas, quas refert, in eam partem ſemper trahit, vt de ſummo Pontifice, ſuaq; abſoluta poteſtate ſiniſtrè ſentiatur: neque, vt id agat occaſionem omittit vllam, quin potius illam quærit, atque rapit tanto affectu, vt an errare, vel non errare poſſit, animaduertere non

admo

admodum curet. Regnum vtique Iuetoti eãdem, quam dicit Gaguinus, originem habuisse, Chronica, & Annales Franciȩ prorsus referunt. *& ea ratione, pro Iuetoti Dominis, sub anno 1428. nempe, si non nostra, patrum saltem nostrorum memoria, iudicatum fuisse refert Gaguinus:* & nihilominus, ne tã latè Põtificum excommunicationes extendat, fabulã esse hanc dicit Vignerius.

Ego, in Petro, summis Pontificibus, in vniuerso orbe, à Christo ligandi, atque soluẽdi potestatem datam fuisse certò scio; Christus enim ipse hoc testatur; & ideò & tunc, cũ Agapetus monuit Clotarium; & longè ante, à Christi nempe cõcessione; & post, ad mundi vsque exustionem, potestatem eam Põtificum fuisse, futurámque esse, non dubito: & si ideò Orbis amplitudinis ratio ducatur, Agapetus, non longè, sed ante suos pedes, in Francia, excommunicationem comminatum fuisse, facilè apparebit. Et quid ideò aut dicat, aut dicere velit Vignerius, ipse videat.

Agapetus vixit in Pontificatu menses xj. & dies decem & octo. creatus enim fuit 3. Nonas Iunij. & obiit 12. Kal. sequentis Iunij, anno 535.[1] Et potuit eo tempore, non solum vnũ, & semel, Clotarium Regem monere, sed Reges plures, & sæpius, monere, & excommunicare potuisset. Missus fuit Constantinopolim, sed ex Roma; & potuit ideò Galterus illum Romæ conuenisse: & Agapetus Romæ, Constãtinopolis, & vbique dum vixit summus Pontifex fuit: & potuit ideò, ex Roma, & ex Constãtinopoli, monuisse Clotarium. & idcirco ad hanc infirmandã actionẽ, quæ potuit ferè in

[1] *Onufri' in Chron. Pontificũ sub dicto anno. Genebrardus, in Meth. Chronol.*

momento fieri, satis friuola est hæc breuitatis temporis ratio.

At ad tertiam veniamus, vbi dicit, *non potuisse Galterum ire contra Saracenos, cum tunc temporis Saraceni nullibi reperirentur.* in quam dico primum, quod Aimoinus dicit Galterum iuisse in bellum, non contra Saracenos, sed contra Catholicæ Religionis inimicos, & non deerant tunc præter Saracenos, inimici Christianæ Religionis, Persæ, Hunni, Vandali, & aliæ complures barbaræ gentes: contra quos potuit Galterus iuisse: Vt iuisse etiam tunc & ante, per plures annos, potuit contra Saracenos, qui & erant in rerum natura, & Imperij Romani Orientales prouincias deuastabãt: ad quod probandum, nullum, præter ipsum Vignerium, aut Auctorem, aut testem, volo.

1 Parte 2. Ipse itaq; in sua Bibliotheca,[1] sub anno 531. ait: *Gabades Roy des Perses, se trouuant grandement estonné des grosses bastõnades qu'il auoit receuë des Imperiaux, ne sçauoit quasi plus à quel sainct se voüer, si vn Roy des Sarrazins dicts Scenites ne luy eust remis le cœur au ventre, par les belles promesses qu'il luy fit. Car n'ayant depuis 50. ans cessé de guerroyer les prouinces Romaines, & les ayant par vne infinité de fois courües, pillees, & rauagees, depuis l'Egypte iusques à la Mesopotamie, sans auoir iamais trouué empeschement en ses entreprises, ny en rencõtre, dont il ne fust sorty à hõneur & profit, quelques ennemis & aduersaires que l'Empereur Iustinian, & ses predecesseurs, luy eussent suscité en son pays mesme.* Subdit, quod persuasis Persis, exercitum habuit à Cabada, pugnauit cum Belissario, & victoria satis cruenta vicit.

Si igi

SI igitur dicto anno 531. Saraceni Cabadæ Regi auxilia obtulerunt, vicerũt Belissarium Imperatoris Ducem, & per annos quinquaginta ante deuastarũt prouincias Imperij, certè ipsomet Vignerio teste, erant in rerum natura: & potuit ideò anno 534. & decem præcedentibus, contra illos pugnare Galterus. & eius rei gratia, ob res fortiter gestas, ab Agapeto Papa commendatitias literas ad Clotarium habuisse; Quas quia spreuerit Clotarius, & cum homicidio, sacrilegium commiserit, Agapetus illum, anathematis comminatione, ad pœnitentiam reuocauerit. peccauerat enim in ipsum Agapetum, cuius auctoritatem neglexerat, cum Galterum à se commendatum, & de Republica Christiana benemeritum occiderat. Id, quod non fecerat, in parricidio nepotum: cuius cognitio principaliter ad ciuilem potestatẽ, non autem ad spiritualem, spectabat. Mitto, quod Clotarius occiderat nepotes; sub Ioanne 2. Papa, & non sub Agapeto, qui Ioanni successit, ipsomet Vignerio teste, qui in dicta sua Bibliotheca, refert facinus Clotarij, sub anno 533. & sub anno 534. mortem Ioannis, & creationem Agapeti. Et dicam obiter quòd Vignerius in summario historiarum, vt est supra exscriptum, dicit *Galterum à Childeberto fuisse necatum.* & errat, cum omnes alij dicant Clotarium illum interfecisse. Et potest ex dictis his omnibus videri, quàm parum accuratè se gessit Vignerius in hac potestatis summi Pontificis oppugnatione: nec fœlicius forsan illi cederet, si vt est locus iste animaduersus, ita alij huiusmodi examinarentur.

Cvm Gregorivs IIII. Patria Romanus, vt Platina, inquit:[1] *nobilitate insignis, sanctitate clarus, doctrina, & eloquentia præcipuus, diligentia, & sollicitudine, tum in rebus diuinis, tum in humanis admiratione dignus*, à Filiis Ludouici Pij Imperatoris callidè aduocatus, *sub ornatu quasi qui Patri filios conciliare deberet, & posset*, eo tempore in Franciam se contulisset, quo iidem Ludouici filij, qui paulo ante Patrem exauctorare nixi erant, Imperio illum pænitus exuere parabant. *Et cum rumor*, vt Auctor ad Aimoinum ait:[2] *vsquequaque diffusus, sereret, de cæteris quod verum erat; de Papa verò Romano, quod ideò adesset, vt tam Imperatorem, quàm Episcopos excommunicationis irretire vellet vinculis, si qui inobedientes essent suæ, filiorumque Imperatoris voluntati, parum quid surripuit Episcopis Imperatoris præsumptio audaciæ, asserentibus nullo modo se velle eius volũtati succumbere: sed si excommunicaturus adueniret, excõmunicatus abiret, cum aliter se habeat antiquorum auctoritas canonũ.* Certè hæc Episcoporum suspicio, ne excommunicarentur, ipsorumque verba hæc, clarè demonstrant ipsos ideò timere, quia non dubitarẽt, summum Pontificem, ex iusta causa posse tam Reges in Francia, quàm Episcopos excommunicare.

Hanc calumniandi Romanum Põtificem occasionem, faciendíque illum coniurationis in Ludouicum consortem, non omisit Vignerius, dicit enim in suo Summario.[3]

O r *si le Pape a esté innocent de la conspiration des fils contre le pere: comme Paule Aemyle auec les autres historiens d'Italie (encore que les anciennes Annales & Guitard soit d'aduis contraire) se sont efforcez de faire croire:*

1 In eius vita.

2 Lib. 5. cap. 14.

3 Lib. 2. sub anno 833.

croire : ils nous deuoyent aussi demonstrer quelle puissance eust peu auoir ce Concile, si le Pape n'eust auoüé ou toleré la sentence d'iceluy.

EQVIDEM quia Lotharius à Synodo Episcoporum, qui eius auctoritatem sequebantur, Ludouicum indignum Imperialis dignitatis declarari, exauctorari, & ad perpetuam agendam pænitentiam, Monasterio sancti Medardi in Suessionibus includi, per sententiam condemnari curauit: Vignerius ex hoc facinore argumentum arripiens, quærit à Paulo Aemylio, & aliis scriptoribus Italicis, qui, dicit ipse, conspirationis huius Pontificem, contra veterum Annalium, & Guitardi testimonium, innocentem dicunt; quam auctoritatem Synodus illa, ad id explicandum habere potuisset, si summus Pontifex Gregorius sententiam illam non tolerasset? Si quod in hoc proposito scriptum reliquit Paulus Aemylius, Vignerio non satisfacit, quādoquidem ipse ante multos annos è viuis excessit, & an eodem in statu sint ij alij Italici scriptores, qui Pontificē ab huiusmodi cōspiratione immunē esse voluerūt, prorsus ignorē. Ego, licet nō parua sit quæstio, an Synodus possit Regē exauctorare, nihilominus, pro omnibus respōdeo, etiā si qui viui sint, pro ipsis, de rato promittēs, Synodum illā nullam habuisse legitimā potestatē, & nulliter processisse. & hinc esse, quòd per aliā Synodum expunctum fuit quicquid illa fecit, & ipsi Episcopi, vt culpabiles, tā ab alia Synodo mulctati fuerūt, quàm è Pōtifice ipso Gregorio, qui sententiam illā non tolerauit, sed habita de illa scientia, pænitus antiquauit, & ob id Archiepiscopum Lugdu

Lugdunensem exuit Archiepiscopatu. de quo sic
1 lib. 3. sub Ludouico Pio. ait Paulus Aemilius,[1] *Gregorio in Italiam regresso, Lugduni concilium Episcoporum, quos filij Reges cōtraxerant, habitum, Imperium Patri abrogatū. Quod Decretum mox à Gregorio Pontifice maximo rescissum est, & audacia Archiepiscopi Lugdunensis mulctata. ex sede enim deiectus est.* Auctor verò ad Aimoinum, in-
2 l. 5. ca. 16. quit:[2] de Ludouico intelligens. *Contra quos Episcopos de sui deiectione conquerebatur.* Et inferius, *Ebo, tandem molestè ferens talibus extediari, consilio petito aliquorum Episcoporum, ipse in se quandam confessionē prædicauit, confirmauitq́; se & indignum sacerdotio, & irreuocabiliter eo abstinere iudicauit: quòd & Episcopis, & per eos Imperatori contradidit. Quo facto, Agobertus Lugdunensis Episcopus, qui euocatus ad satisfactionem venire distulit, cū ter esset euocatus, ab Ecclesia semotus est præsulatu. cæteris in Italiam fugientibus.*

Idem ad verbum testatur incertus auctor vitæ Ludouici Pij, eius tamen Coëtaneo; ideò illius verba non refero. Impressus est Parisiis, cum aliis duodecim Coëtaneis, anno 1588. apud Claudium Chappelet.

3 Lib. 4. sub ipso Ludouico. Gagvinvs,[3] *inter condemnatos fuere Ebo coniuratorum conscius, & Agobertus Lugdunensis Primas, qui tertio ab Imperatore euocatus, imperata non fecerat.*

Et ne plures adducā, ex dictis satis videre potest Vignerius, quod Gregorius Pontifex, qui ob id Lugdunensem deposuit, non tolerauit, neque ratum habuit factum à Synodo contra Ludouicū; quódque si approbasset, ab alia Synodo antiquari minimè potuisset. At etiam à suspicione facinoris Pontificem liberemus.

GAGVINVS referens aduentum Pontificis ad Ludouicum, ait. *Quem non admodum beniuolo, & reuerenti animo Ludouicus admisit: In Regium tamen tabernaculum perductus Pontifex, iureiurando firmat, se ea tantum ratione venisse, vt conciliationis auctor sit: quandoquidem intelligeret patrem filiorum causam audire non velle: suæ dignitatis atque officij esse, belli causas, quoad se fieri posset, tollere: & non sinere armis digladiari, quos tam arcto generationis vinculo natura coniunxisset.* Et inferius, *Pontifex* (remissus enim erat à Ludouico ad reducendos ad concordiam filios) *ad Imperatorem, vt conuenerant non redijt, filiis eius regressum impedientibus,* Auctor ad Aimoinum, [1] *Ductus autem Papa in habitationem Castrensem, multis assertionibus perdocuit se tantum iter non ob aliud suscepisse, nisi quia dicebatur quod inexorabili cõtra filios discordia laboraret: ideoq; pacem in vtramque partem serere velle. Audita vero parte Imperatoris, mansit cum eo aliquot diebus. Remissus autem ab Imperatore ad filios, vt pacem mutuam necteret.* Et infrà, *nequaquam, vt fuerat iussus, est redire permissus.* Et inferius, post Imperatoris vxorísque detẽtionem, *Gregorius Papa talia cernens, cum maximo mærore Romam regreditur.*

[1] Lib. 5. cap. 14.

INCERTVS Auctor vitæ Ludouici, *iisdem verbis idem dicit:* vt videatur illemet esse, qui addidit ad Aimoinum.

THEGANVS; *non post multos dies, venerunt ad colloquium Imperator, & iam dictus Pontifex, qui non diu loquentes, honorauit eum Pontifex, in primis magnis & innumeris donis. Postquam vterque redijt ad tabernaculum, misit Imperator dona regalia per Alungum*

venera

venerabilem Abbatem, & Presbyterum supra dicto Pontifici.

NITARDVS Caroli Magni ex filia nepos, postquam dixisset motum coniuratorum in Ludouicum, ait: [1] *Insuper autem & Gregoriũ Romanæ summæ Sedis Põtificem, vt sua auctoritate liberius quod cupiebant perficere possent, sub eadem specie, magnis precibus in supplementum suæ voluntatis assumunt.* Et inferius, *Cum perpaucis Pater capitur, vxor ab eo dempta in Longobardiam exilio mittitur, ac Carolus vnà cum patre sub magna custodia seruatur, Gregorius si quidem Papa itineris plenitudine correptus, tardius quàm vellet Romam reuertitur.*

1 *Lib. 1. post principium.*

PVTARE possum, ex dictis, liberatum esse Põtificem à conspiratione in Ludouicum; ostensúmque planè esse, ipsum à filiis Ludouici fuisse deceptum, qui eum, sub nomine componendæ pacis, vafrè, vt eius abuterentur auctoritate, in Franciã attraxerunt: quo cognito à Pontifice Gregorio. qui non in Ludouicum aduenerat, sed vt inter ipsum & filios pacis auctor esset, mœstus rediit in Italiam. Et potest Vignerius testimonio Auctoris Chronicæ, & Annaliũ Franciæ, qui nudius-tertius scripsit; & Guitardi, si contrariũ dicit, ipsum enim non vidi, testimonia Auctoris ad Aimoinum, incerti Auctoris vitæ Ludouici, Thegani, atque Nitardi, opponere (ij enim omnes ferè viuente Ludouico scripsêre) Cum maximè non deteriori cũ ratione, ab Auctore Annalium Franciæ quærere possim, vt det Auctorem, ex quo id asserat, quàm quærat à Paulo Aemilio, & Italicis Vignerius, vt ostendant qua auctoritate exauctorare Ludouicũ

Syno

Synodus potuerit, si id Pontifex improbasset. Sed ad institutum.

NICOLAVS Magnus, Romanus Pōtifex, Lotharium Lotharingiæ Regem Lotharij Imperatoris filiū, qui Tetherga legitima vxore dimissa, Valdradam duxerat, excommunicauit: Gūtariumque Agrippinensium, ac Tetgaudum Treuirorum, Archiepiscopos, diuortij Auctores è dignitate deiecit. de quo dicit Paulus Aemilius [1], *Admonitus à Pōtifice Maximo, perstabat in amentia: Episcopi, quod connubium diremissent, è gradu dignitatis deiecti sunt: Lothario communione piorum interdictum.*

1 Lib. 3. sub Carolo Caluo.

GAGVINVS, [2] *Hic Lotharius est, qui contra Ecclesiasticas leges, duas pariter vxores, Galdradam, & Tebergam, altera dimissa, pertinaciter habere nitebatur, Cuius errori duo Pontifices, Teugaldus Treuerensis, & Guntharius Coloniensis, patrocinabantur, quos propterea graues pœnas luisse, & dignitate priuatos, certum est. Lothario autem eam ob rem ad Pontificem Romanum profecto, dira sors accidit. Nam inde cum domum repetit, apud Placentiam Lombardiæ Vrbem ægrotans amentiā incurrit, mutúsque effectus est, nec diu postea vixit.*

2 Lib. 5. sub eodē Caluo.

ANNALES incerti Auctoris, sub anno 863. sic habent, *In regno quoque Luthary, pro eo quod dimissa vxore legitima alteram duxit, Synodus in Mettis congregata est omnium Episcoporum eius.* Et statim, *Rex factum suum, propter quod arguebatur, consilio, & auctoritate Episcoporum se fecisse testatus est. Quod illi non inficiantes quasdam assertiones rationum, &c. per Gunthariū Agrippinæ Coloniæ, & Theotgaudum Treuerēsem, Galliæ Belgicæ Archiepiscopos, Apostolicæ Sedis Pōtifici probādas transmiserunt. Qui cōuocato Romanæ*

Sedis

Sedis Episcoporum Concilio, & Mettensem anathematizauit Synodum, & ad se missos Episcopos deposuit, & communione priuauit. Ponuntur inferius decretum Concilij, de abolenda Mettensi Synodo; & sententia de depositione Tietgaudi, & Guntharij; cũ aliis Decretis, vnà cũ literis excusatoriis Episcoporum, qui depositi fuerunt, ad Pontificem; quorum Guntharius ductus pœnitentia Romam profectus ad ipsum Pontificem, veniam non est consequutus. quæ omnia hic inserere tædiosum fuisset: & possunt à volenti in Auctore videri.

CVM huius Lotharij morte sequuta Placentiæ, dum Roma, quò ad Pontificem deprecãdum iuerat, in Franciam rediret; Carolus Caluus, inita cũ Ludouico fratre Rege Germaniæ pactione, Lotharij ipsius Regnum inuasisset; Adrianus II. Papa, qui Nicolao successerat, per suos legatos Carolo, & quibuscumque, sub excommunicationis comminatione, ne Lotharij Regnũ, quod ad eius fratrem Ludouicum Imperatorẽ, successionis iure spectabat, inuaderet quomodolibet, inhibuit.

13. sub caluo. quod sic refert Paulus Aemylius: ' *Lothario cõmunione piorum interdictum. ad iram Pontificis deprecandam Romam profectus, in reditu decessit. Regna eius Caluus coniungere sibi, ac Frãcorum Regnum ad pristinos terminos propagare conatus, ne duos simul Ludouicos fratrem Regem, alteriúsque fratris Augusti filium Augustum, hostes haberet, propiorem Ludouicũ in partem, fœdere icto, recepit; Diuisa Lotharingia, alteraq; Burgundia, vt quis cuique locus opportunior erat. Continuo Augusti Oratores affuere, decedere Iubentes Regnis, quorum ius morte Lotharij ad fratrem Augustum venisset:*

venisset: subsequutis summi Pontificis legatis, qui Burgundionibus, Lotharingísque iuberent Augusto se dedere: simul vtrique Regi, reddere Augusto fraternam hæreditatem imperarent, cum graui sacrosanctæ potestatis denunciatione, nisi pareretur. Ludouicus Rex, frater Calui, exorabilior fuit. Augusta in Galliam à marito, &c. missa, quicquid sibi è Lotharij Regnis cesserat, reddit. Caluus in sententiam perstabat, &c. Legatis Romanis negauit æquum esse, in se nondũ auditum, necdum causa cognita, Pontificis fulmen intentari.

GAGVINVS, cum superius dixisset mortem Lotharij, Bis Pontificis legatos in Franciam venisse refert;[1] Semel (minus verisimiliter) procurãte Ludouico Rege Germaniæ, contra Carolum Caluum suum fratrem, qui totum Lotharij Regnum, cuius partem ad se pertinere asserebat, occupasset. Iterum id procurant Ludouico Imperatore Lotharij fratre, contra ambos dictos Reges, Carolum, & Ludouicum, eius Patruos, vt fratris Regnum ad se deuolutum, & ab ipsis occupatum, sibi restituerent. Et addit, Ludouicum eam, quam occupauerat partem, reddidisse: Legatósque ad Carolum dimisisse: subdens. *Quibus auditis, etsi mãdatorum seueritate Carolus moueretur, quod se inaudito partem Austrasiæ relinquere iuberetur: ad Pontificis tamen Legatos suos Nuncios adiungit, qui Pontificem conueniant.*

1 Sub eo. Caluo.

AVCTOR ad Aimoinum de morte Lotharij, inquit:[2] *Lotharius autem Roma lætus promouens, vsque Lucam Ciuitatem venit, vbi febre corripitur, &c. vsque Placentiam, 8. Idus Augusti peruenit, ibique Dominica die superdiurnans, &c. in crastinum hora diei se-*

2 Lib. 5. cap. 21.

cūda moritur. Et inferius, de Carolo Caluo loquēs, *Attiniacum venit, vbi à quibusdam Episcopis, & ab aliquibus Primoribus Regni quondam Lotharij, Legatos directos suscepit, vt ibi resideret, & in Regnum, quod Lotharij fuerat, non intraret.* Refert inde Caroli ingressum in dictum Regnū, & per plures paginas, electionem ipsius in Regem: & tandem dicit, [1] à Ludouico Rege Germaniæ illius fratre, missos fuisse ad ipsum Carolū Legatos, pro portione consequenda dicti Regni. Et sequitur, [2] de Aquisgrano sentiens. *Vbi Legatos Adriani Papæ, Paulum, & Leonem Episcopos, suscepit, cum Epistolis missis sibi, & Præsulibus, ac Regni Primoribus, &c. in quibus continebatur, vt Regnum quondā Lotharij, quod Ludouico Imperatori spirituali filio eius hæreditario iure debebatur, & quod ad eum post mortem ipsius Lotharij redijt, vel homines in eo degentes, mortalium, nullus inuaderet, nullus commoueret, nullus ad se conaretur inflectere. Quod si quis præsumeret, non solum per suum auctoritatis ministerium, verumetiam vinculis anathematis obligatus, nomine Christianitatis priuatus, cū diabolo omnino locaretur: & si quis de Episcopis tam nefariæ temeritatis auctorem, vel tacendo fugeret, vel non resistendo consentiret, non iam pastoris, sed mercenarij nomine se norit fore censendum: & quia iam non pertineret ad eum quicquam de ouibus, non pertineret ad eum consequenter de Pastoralibus dignitatibus. Cū quibus Episcopis & Nuncius Ludouici Imperatoris venit, nomine Boderardus, de his nihilominus satagens. Carolus autem absolutis Apostolici, & Imperatoris Legatis, &c. iter in Elsatias partes arripuit.* Ex inde refert, [3] discordiam & belli minas inter ipsum Carolum, & Ludouicū Germa

1 In fine cap.

2 In cap. 24.

3 Sub anno 870. in eo. cap. & seq.

Germaniæ fratrem, pro ipso Regno, & Regni diuisione. Et subdit,[1] de Ludouico Rege Germaniæ loquens. *Ibi Apostolici Adriani Legatos, Ioannem, & Petrum, itémque Ioannem Episcopos, & Petrum Cardinalem Ecclesiæ Romanæ Presbyterum, sed & Oratores Ludouici Imperatoris Vincbodum Episcopum, & Bernardum Comitem suscepit, sibi denũciantes, vt de Regno Lotharij nepotis sui, quod fratri suo Ludouico Imperatori debebatur, non se intromittere præsumeret: & in breui absolutos ad fratrem suum Carolũ eos direxit.* Addit[2] Legatorum aduentum ad Carolum, apud sanctum Dionysium, dicens: *Vbi ipsa die inter missarum solemnia, præfatos Apostolici Legatos, cum Epistolis ad se, & ad Episcopos Regni sui directis, terribiliter sibi Regnum quondam Lotharij, quod fratri suo Imperatori debebatur, interdicentibus, moleste suscepit, &c. ipsos autẽ Legatos Domini Apostolici, & Imperatoris, vsque Rhenum deduci fecit: & vndique plurimos fidelium suorum illuc conuenire faciens, & per octo dies ibidem immorãs, eosdem absoluit: & suos Oratores, Ansegisum videlicet presbyterum, Monasterij sancti Michaëlis Abbatem, & Ethariũm laicum, Romam cum Epistolis ad Dominum Apostolicum, sed & pannum ad altare sancti Petri, cum duabus coronis aureis gemmis ornatis, misit.* Subdit[3] tandem restitutionem illius Regni eam partem, quam Ludouicus Germanus inuaserat, aiens: *Apud Trientum cum Engilberga loquens, partem Regni Lotharij, quam contra Carolum acceperat, neglectis sacramentis inter eos pactis, sine consensu ac conscientia hominum quondam Lotharij, qui se illi commendauerant, clam reddidit.*

1 cap. 26.
2 cap. 27
3 cap. 28.

INCERTVS Auctor Annalium refert his ver-

bis [1] mortem Lotharj, Regníque eius occupationem,& diuisionem: *Hlutharius Rex infecto negotio, propter quod Romam venerat, in Regnum suum redire volens, apud Placentiam Italiæ Vrbem, mẽse Iulio diem obijt*, Et inferius, [2] de Ludouico Rege Germaniæ loquens: *Cum Carolo colloquium habuit, & diuiso inter se Hlutharij Regno, Aquisgranum reuersus est.*

1 sub anno 869.

2 sub anno 870.

REFERRI, fateor, hæc succinctius potuissent, eorũque aliqua eò loci tractãda reseruari, quo de his dicetur, quibus Religiosi Conuẽticuli, ab exẽplis sanctorum Patrum ratione ducta, summi Põtificis monitiones, & excommunicationes nullas dicunt; & eis formis ab illis se defendere parant, quibus Episcopi sui prædecessores à similibus se protexerunt. Verum cum Nicolaus Vignerius, instituti sui Pontificibus illorumque actionibus detrahendi, atque pro viribus infirmandi supremã illorum potestatem, non oblitus, hoc Pontificis Adriani factum subdolè carpat, vt temerè tentatũ proferat, & non sine stomacho sinistrè referat: ego fusius illa referri è re esse decreui, vt planè summi Pontificis candorem animi, & optimi Pastoris vigilantiam; & simul Vignerij ausus, maléque affectam voluntatem in Romanos Pontifices, illorumque sedẽ, & potestatem, hic tertio patefaciã. Ipse enim, cum dixisset [3] Carolum Caluum primũ sciuisse Lotharij nepotis sui mortem, primũ illius Regnum inuasisse, eligíque in Regem, & coronari affectasse. Subdit. *A cause dequoy le Pape luy enuoya faire commandement par ses Legats, de se deporter, sur peine d'excõmunication de la succession du Roy Lothaire, qu'il disoit n'appartenir qu'à l'Empereur Loys; & à*

3 sub Caluo, & anno 869.

Hinc

Hincmarus Archeuesque de Rheims de prononcer les censures Ecclesiastiques sur luy, s'il differoit d'obtemperer à son commandemẽt. A quoy fut respondu par l'aduis du Conseil de Frãce, & des Estatz du Royaume de Lorraine tenus à Rheims : qu'vn semblable commandement n'auoit onques encore esté faict par le siege Romain aux Euesques de France : & qu'il ne s'estoit iamais veu, ny ouy, qu'vn Pape, sans en estre requis, se fust voulu entremettre de iuger des droicts des Royaumes, & que tous ses predecesseurs s'estoyẽt contenus en leur ordre, c'est à dire, contentez de leur Iurisdictiõ spirituelle, sans ENIAMBER *sur la temporelle, qui appartient seulement aux Roys: tãt s'en faut qu'ils eussent eu la hardiesse d'imposer Loy aux François, de s'assubiectir à ceux ausquels ils vouloyent seruir, & obeyr en liberté.* Et inferius. *Que les Royaumes ne s'acquierent, n'augmentent, ne defendent par menaces, &c. Brief que l'excõmunication irreguliere ne leur pourroit empescher l'entree de Paradis. Finalement protestoyent, que le Roy Charles n'occupoit point iniustement les biens de son nepueu, mais ce qui luy appartenoit seulement par droict de conuention, & de contracts. Quant à ce point de droict de conuentiõs, & de cõtracts, il semble qu'ils vouloyent denoter l'article, qui est au testamẽt de l'Empereur Charlemaigne, duquel Ieã Naucler nous a laissé la teneur : par lequel il ordonna que le peuple, c'est à dire les Estats, esleussent quiconque luy seroit aggreable des fils de ses enfans, commandãt aux oncles qui seroyent leurs suruiuans d'acquiescer à telle eslection.* Hæc Vignerius in summario. At quia idem dicit in sua Bibliotheca, & in ea quandoque addit. Ego vnico contextu de illis dicam, annotato nihilominus eo, quod aut addit, aut immutat.

Est in primis aduertendum quod Vignerius tam in sũmario, quàm in Bibliotheca, [1] dicit Pontificem mandasse Hincmaro, vt si Caluus non paruisset, contra illum Ecclesiasticas cẽsuras pronũciaret: id quod videri minus verisimile potest. Quia cum Pontifex Legatum ad hoc in Franciam legasset, opus non erat, vt censurarum fulminatio alteri cõmitteretur. Quinimmò id non Hincmaro commissum, sed per legatum executum, fuisse, Vignerius ipse testatur in verbis supra relatis, dum dicit: *A cause dequoy le Pape luy enuoya faire commãdement par ses Legats de se deporter sur peine d'excommunication de la succession du Roy Lothaire.* Si enim Legatus Carolum Pontificis nomine monuit, eique sub excommunicationis pæna præcepit, & monitio, & præceptum, regulariter parendi tempus in se cõtineat, vnà cum pænarum incursu: certè si Carolus in termino non paruit, elapso termino pænas incurrit, & necesse ideò non erat, vt illas rursus ab Hincmaro infligi Pontifex mandaret. Præterea cum excommunicare sit actus Iudiciarius: & in excommunicationis promulgatione requirantur ea, quæ latè suprà annotauimus, [2] & quæ plenam causæ cognitionem requirunt: certè vix est, vt nisi causa committatur, qua debeat excommunicatio sequi, simplex illius executionis actus committi possit. At veritas est, illámque aut non aduertens, aut cognitam reticens, ipsemet Vignerius testatur, quod Pontifex mandauit Hincmaro, non vt Caluum excommunicaret, sed si non obediret, illũ vt excõmunicatũ vitaret, & ab illius cõmunione se abstineret: & hoc est de quo se mole-

stia

1 *Parte 2 sub anno 869.*

2 *Pag. 63. & seq.*

ſtia grauatũ dicit Hincmarus in reſponſione à Vignerio relata;tũ quia ille Rex erat,& ibi exiſtebat, vbi Hincmarus; tum quia id ipſi ſoli, & non aliis etiã mandatũ erat.Quæ ita eſſe ſtatim aperta oſtẽdemus.Si prius dixerimus, Vigneriũ dicere reſpõſum fuiſſe Põtifici ex auctoritate Concilij Frãcię, ac ſtatus Regni Lotharingię:& in Bibliotheca,reſponſionem contineri dicat in reſponſione Pontifici facta ab Hincmaro: Aduertendum eſſe in primis,multa in ipſa reſpõſione dici, vt annotabitur, quæ vix credi poſſunt ab Hincmaro Archiepiſcopo prudenti,ac bono viro, aut à ſe dicta, aut vt à Concilio, & ſtatibus propoſita, fuiſſe relata. Et quod eapropter minus ad verum relata fuiſſe ęſtimari ea poſſunt, quæ ſunt in Hincmari reſponſione congeſta.Sed hæc ad partes videbimus.

DICIT itaque, *Mais d'autant que ceſte reſponce du Roy a eſté encore peu diuulguee, & qu'elle eſclairciſt grandement l'hiſtoire de ce temps,il m'a ſemblé bõ d'adiouſter les principales pieces d'icelle, qui ſont cõtenuës en la reſponce que Hincmare fit au mandement d'Adrian.* Hæc Vignerius.[1] Quæ quid faciant ad claritudinẽ hiſtoriæ temporis illius,non capio: licet clarè videam pro illius inſtituto Pontificibus detrahendi, multũ facere potuiſſe,ſi vera fuiſſent.Atquàm malè aſſumpta ſint videamus. Dicit enim in reſponſione ad Adrianum, apud Vigneriũ, Hincmarus: *De hoc,quod ſcripſiſti, vt ſi ipſe Rex Carolus in obſtinationis ſuæ perfidia, poſt meam comminationem perſiſtere maluerit,quam iuxta monita veſtra reſipiſcere,ab illius me cõmunione, & cõſortio reſipiſcam; & ſecundũ Apoſtolum ne ei aue dicam; ſi veſtræ communionis volo eſſe*

1 In Bibliotheca

Christum, & Apostolos præcipisse supra retulimus,[1] rursus dicamus.

FABIANVS Pontifex, Martyr, & vigesimus à Petro, sic dicens[2] videri poterat à Vignerio; *Sicut Apostoli statuerunt dicentes, cum excommunicatis non est communicandum: & si quis cum excõmunicato auertendo regulas, scienter saltem in domo simul locutus fuerit, vel orauerit, ille communione priuetur.*

CALISTVS item Pontifex,[3] prædecessor Fabiani, *Excommunicatos quoque à sacerdotibus nullus recipiat, &c. nec cum eis in oratione, aut cibo, aut potu, aut osculo communicet, Quia quicumque in his, vel alijs prohibitis scienter excommunicatis cõmunicauerit, iuxta Apostolorum institutionem, & ipsi similiter excõmunicationi subiacebunt.*

ADRIANVS, cum Carolo Magno Pontificem eligendi, & Episcopis per singulas prouincias inuestituras concedendi, priuilegium dedisset, addidit,[4] *Nisi à Rege laudetur, & inuestiatur Episcopus, à nemine consecretur. & quicumque contra hoc Decretum ageret, anathematis vinculo eum innodauit.*

ET ne hi Pontificum canones Franciam non comprehendere dicerentur, Canonum Glossator in verbo, per singulas prouincias, dicit, *ergo in Francia.*

NICOLAVS Magnus, in Concilio Romæ habito, cum Thietgaudum, & Gunthariũ, Archiepiscopatibus priuasset, addit,[5] *Quod si iuxta præcedentẽ consuetudinem, tãquam Episcopi ausi fuerint aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo, restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed communicãtes eis omnes abijci de Ecclesia,*

1 Pag. 87. & seq.

2 In c. sicut Apostoli, 11. q. 3.

3 In c. excommunicatos ea. 11. q. 3.

4 In c. cũ Adrian⁹ distin. 63.

5 Incert⁹ Annaliũ Auctor. dum Nicolai sententiam refert.

& maximè si postea quam didicerint aduersus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentauerint.

POSSET ex his similibus confici Bibliotheca, sed relatæ Auctoritates omnibus satis demonstrant, Romanos Pōtifices, quoties, ratione id requirente, opus fuit, toties excommunicatis communicari, & in Frācia, & in Christiano Orbe vbique, prohibuisse. Et potest ideò Vignerius agnoscere, aut se erroneè responsionem referre, aut erroneè fuisse à Concilio Franciæ, & Statibus Lotharingis Pontifici datum hoc respōsum. Cùm id, Pontificis mandatum nouum minimè esset, sed idē sæpius fuisset à suis prædecessoribus, ab Apostolis, & à Christo ipso, mandatū. Nec dici potest nouum fuisse ideò, quia, si ipsi standum est Vignerio, Hincmaro mandauerat; vt Carolum non parētem excōmunicaret; tum quia, ipsomet Vignerio teste, qui Hincmari responsionem refert, hoc Pōtifex non mandauit; tum quia, etsi id mādasset, vnà cum causæ totius cognitione, nequaquam nouum fuisset; cum passim causas committi, cum excommunicationis pęna, testentur sacri canones. Et eodem ferè tempore, à Fulcone Remensi Archiepiscopo, Hincmari successore, rogatum fuisse vt id mandaret, Stephanum summum Pōtificem, refert Flodoardus, dicens. *Il rescrit de Rampon, & de celuy qui vsurpoit les biens d'iceluy, remōstrant à sa Sainctete, que les susdicts Papes auoyent commandé aux Archeuesques de Sens, & de Rouën, qu'ils excommuniassēt ce sacrilege vsurpateur, & qui par faute d'auoir faict leurs diligences, il detenoit encores ce qu'il auoit rauy.*

Par

Parquoy requiert que sa Sainctété donne sentence à l'encontre de ce rauisseur, & qu'elle commande ausdits Archeuesques, qu'ils n'ayent plus à differer l'excommunication. Et ferè statim. *Le mesme Foulques escriuit d'autres lettres au mesme Pape, où il se plaint dudit Erminfride, qui n'auoit tenu conte des admonitions dessusmentionnez Archeuesques, & requiert sa Sainctété vouloir derechef les admonester qu'ils ayent à tanser & increper plus asprement Erminfride, voire l'xcommunier, s'il ne veut faire restitution des biens, qu'il occupoit iniustement.* Hæc Flodoardus. ex quibus clarè videtur, Fulconem rogasse Stephanum Pontificem, vt id Archiepiscopis Senonensi, & Rothomagensi mandatum daret, quod cum Adrianus Hincmaro mandasset, tanquam inauditum, vt vult Vignerius, Franciam perturbauit, & Austrasiam: nec eum tyrannicè factum id dicere pudet.

PERGIT ampliare responsum, nempe, *Nunquam auditum fuisse, quod aliquis Pontifex non requisitus, se de iuribus Regni iudicare immiscuerit,* rationem reddens: *Quia non potest quis simul Rex esse & Episcopus.* In quo responso mendacium inesse, & falsitas, clarè videtur. Mendacium, quia Pontifex Adrianus nō suo solū motu, sed à Ludouico Imperatore de Iustitia requisitus, Legatos misit, & Carolum Caluum, & Ludouicum Germanū, fratres Reges monuit, illísque est excommunicationem minatus. Falsitas, Quia Regem simul & Episcopum esse nullam continet in se repugnantiam, pro quibus acutum in perscrutādis rerū Annalibus, & historiis Vignerij ipsius Iudiciū, & diligentiā requiro. Cū Paul⁹ & Aemylius, Gaguinus, & Auctor

ad

ad Aimoinum, qui ſunt ſupra citati, illorúmque verba relata, vna cum Legatis Pontificis Legatos etiam Ludouici Imperatoris, Regnum, quod fratris ſui fuerat repetentis, aduenisse, dicāt; & aliqui, non ſemel, ſed bis, Legatorúmque etiam nomina promant: vt cæci etiam videre poſſint, Pontificē ab Imperatore de adminiſtranda Iuſtitia requiſitum, illi deeſſe non potuiſſe.

IDEM Stephanus Pontifex in Frāciam à Pipino euocatus fecit. etenim Childericum Regē detonſum Cœnobio ſacrauit. Pipinum, & filios Carolum, ac Carolomannum, ad Dionyſij Pariſiorū, coronauit, & inunxit: eis, ſobolíque eorum, ſacris ceremoniis, benedixit; diris, deteſtationéque inſectatus, ſi quis quid contra illos moliri auderet, vt Paulus Aemylius,[1] & Gaguinus,[2] quorum ſupra[3] formalia verba latè retulimus, & alij teſtantur.

1 Lib. 2. ſub Pipino.
2 Lib. 3. ſub eodē Pipino.
3 Fol. 165 & ſeq.

CVM non ita pridem Zacharius ſummus Pontifex, à Proceribus Francis conſultus, ſacramento Regi Childerico dicto Frācos ſoluit, Atque ideò illius auctoritate, Franci Pipinum Regem ſalutauere. Id quod teſtibus nequaquam eget, cum nihil ſit in Francia notius. Non igitur inrequiſitus, nec ſolus, nec primus Romanorum Pōtificum, in Regnis Francorum aſſerēdis, ſe Adrianus immiſcuit.

AT, etſi non fuiſſet Adrianus Pontifex requiſitus, vidiſſet tamen, Regum diſcordia, bella oriri, Reipublicæque Chriſtianæ ſtatum interturbari, quidnam piaculi fuiſſet, ſi ipſe vt Paſtor ſupremus, qui Chriſti gregis quieti, atque cuſtodiæ, inuigilare, Chriſti mandato, debet, ad Reges illos in pace retinendos, auctoritatem ſuam proprio motu, interpo

interposuisset, & Legatos ideò ad illos admonendos transmisisset ? Iure autem suo vti est cuique permissum.

REFERT vlterius rationem, quare non potuerit Adrianus Pontifex se immiscere, vt iudicaret de Iuribus Regni: nempe *Quia insimul esse non poterat Rex, & Episcopus.* Quam rationem nec à Concilio Franciæ, nec à Statibus Regni Lothareni, propositam, nec ab Hincmaro viro vndequaque docto relatam, fuisse, mihi persuadere possum: tũ quia falsa est ratio; tum quia etsi bona in se esset, nihilominus valeret in proposito.

QVÒD falsa sit: Omissis vt minus necessariis, quæ Aluarus Pelagius, de planctu Ecclesiæ,[1] Quæ Petrus Bertrandus, de origine Iurisdictionis: quæ Augustinus de Ancona,[2] sexcentíque alij, dicunt, dum de potestate Pontificis tractant: nullũ alium præter ipsum Vignerium testem, auctorémque volo. Is vtique in sua Bibliotheca, postquã Abrahamum, Loth, suum ex fratre nepotem, ex Chodorlahomor, & Amraphel, quem Regem dicit Assyriorum, manibus liberasse retulisset, subdit.[3] *A l'occasion dequoy Melchisedech Roy de Salem, qui estoit aussi Sacrificateur du grand Dieu, le vint festoyer, & gratuler à son retour.*

RVRSVS, Patriarchæ, Heli, Samuel, Macchabæi, Sacerdotes fuerunt, & reges, Nec refert quòd Regis nomẽ nõ habuerũt, quia ex eo, quod supremi fuerunt Iudices, etiã ipso Vgnerio teste, Reges dici potuere. ait enim in Bibliotheca,[4] dũ disputat de annis Iudicum: *D'autant qu'il est là dit, qu'il n'y auoit lors Roy en Israël, c'est à dire, de souuerain Iuge, ou Magistrat*

1 Lib. 1. cap. 55.
2 Quæst. 22 & 45.
3 In parte 1. sub anno mũdi 2090.
2 Parte 1. sub mundi anno 2605.

Magiſtrat ſur tout Iſraël encore qu'il y euſt des Iuges particuliers. Si igitur idem eſt, eſſe Iudicē & ſupremū Magiſtratum,ac Regem,& iſti,qui ſacerdotes erant,fuerunt etiam Reges,certè in vno & eodem ſimul eſſe poſſunt ſacerdotium,& Regnū.Id quod hiſce diebus, Henricus Luſitanus & Carolus Borbonius, re ipſa oſtenderunt. & frigidè ideo iſta ratio fuit contra Pontificem Adrianum inuenta.

QVAE,etſi in ſe bona eſſet,nihilominus in terminis, de quibus agitur,nihil valeret. Non enim Adrianus vt Rex monebat, minabatúrque Caluo, & Ludouico Germano, Regibus, ſed vt ſummus Pōtifex,& Eccleſiæ vniuerſalis Paſtor, & Epiſcopus: & non Regia temporali poteſtate, ſed poteſtate ſpirituali, & ſupernaturali; à Chriſto ſibi in Petro tradita, vt eſt ſupra ſæpius dictū; qua in ordine ad ſpiritualia,ad aperiēdúmque ad cœlū iter, eſt ſuper Reges, & Regna, & omnium Iudex vniuerſalis,& ſupremus,in Republica Chriſtiana. Et ij ideò,qui Pōtificem Adrianū Regū poteſtatem, vt ipſi dicūt,ENIAMBER,id eſt,ſiniſtro modo inuadere voluiſſe obiecerint; aut non credunt Chriſtum vniuerſi ſui gregis ſummū Paſtorē Petrum, & ſucceſſores,pro tempore,reliquiſſe:Aut imprudentem, vel impotentem Chriſtum eundē exiſtimant: vt illos ea omni poteſtate munitos,quę pro grege conſeruando,ad cœlumque dirigendo, neceſſaria erat,aut non reliquerit, aut relinquere nō potuerit.Quorum vtrumque exiſtimare ſummum eſt nephas. Vnum enim ſapientiam, Alterum potentiam diuinam inficiatur.

NEC diuerſus à ſuis prædeceſſoribus, minus conten

contentus Iurisdictione sua summus Pōtifex fuisse, aliqua ratione censeri debet, cū eandem quā illi habuerant habebat: & qua nulla maior, in terris, nec haberi, nec desiderari poterat: & quæ, vt est centies dictum veniebat à Christo. & non erat ideò cur deberet, vt ipse in summario dicit, ENIAMBER *sur la temporelle:* Aut vt ampliat in Bibliotheca habere, LA HARDIESSE, ET IMPVDENCE *d'imposer Loy aux François.* Cum summus Pontifex non leges nouas Francis dabat, sed vt antiquas Francorum leges obseruarent, ex munere Pastorali, hortabatur ac monebat.

VERVM, non possum non obstupescere, in tātum se erexisse temeritatem, vt de summo Pontifice, cui Christiani omnes, velint nolint, obsequiū & reuerantiam debent, qui se Christianum profitetur, siine rubore tam insolenter loquatur. Pergit in summario responsionem referre, dicens: *Quod Regna non acquiruntur minis, nec augentur, neque tutantur: quòdque parum minæ contra Normannos ipsis inseruirent.* Et idem de excommunicationibus addit in Bibliotheca. *Quant aux excommunicatiōs, que les Royaumes ne s'acquierent, n'augmētent, ne defendēt, par icelles: quelles leur seruiroiēt de peu cōtre les* NORMĀS.

QVÒD Regna minis non acquirantur, optimè dicit: & multo minus ideò vi acquiri debent, & iniuria, quia tum non Regna acquiruntur, sed tyrannides: & eapropter Carolus qui per vim Lotharingiæ Regnum inuaserat, & retinebat, nō iustè agebat, sed tyrannicè. Regna enim iusto titulo acquiruntur, [1] nempe aut iusta electione, aut iusta successione: augentur Iustitia, & prudenti regimine;

[1] *Plato, de leg. dial. 5. Aristot. Pol. 3. cap. 5.*

mine; ac iuftis viribus conferuantur, & defenduntur: quæ duplices funt, temporales quippe, & fpirituales, quibus tunc nitebatur Pontifex Adrianus.

Qvòd verò excõmunicationibus non acquirantur, retineantúrque Regna, & Principatus; minus cõfideratè dicit: de quo confulere poteft Nauarrum, cõtra quem Catholici Reges excommunicationis rigore vacãs Nauarræ Regnum acquifiuerunt, & iuftè retinent. Eodem quippe titulo, quo Franci Reges Tholofanum Principatum habent: Qui cum excommunicatione Comitis Raimũdi ob hærefim Albigeam fuiffe declaratus vacans à fummo Pontifice Innocentio III. & captus à Cruce fignatis, fuit eiufdem Pontificis auctoritate à Cõcilio Lateranenfi Simoni Comiti à Mõforte conceffus; & ab Almerico deinde Simonis filio, Ludouico fancti Ludouici Patri, Frãciæ Regi ceffus. De quibus nullum alium teftem volo quam ipfum Vigneriũ: qui hæc omnia in fummario dicit.[1]

1 Sub anno 1209. 1215. & 1224.

2 Sub anno 1216.

Et latius in Bibliotheca,[2] in qua, non fine murmure in Innocentium, ob dilatatam ab eo, vt ipfe dicit, Pontificiam poteftatem, inquit, *Le Pape Innocent a eu ceſt heur d'auoir mis ou veu la puiſſanco & ſuperiorité de ſon ſiege au plus haut degré où elle euſt iamais eſté, & par la vertu d'icelle auoir fait de plus grands actes & eſtre venu à chef de plus grandes choſes enſemble, qu'aucun de ſes predeceſſeurs n'eſtoit encore, ayant entrepris plus hardiment ſur le tẽporel des Royaumes & Principautez terriennes, ayãt ſoubmis à ſes loix le Patriarche & l'Empire de Cõſtantinople,*

ple, fait trembler souz la crainte de ses excōmunications l'Italie, l'Allemagne, la Frāce, l'Espagne, l'Angleterre & par icelles prosterné & humilié deuāt soy trois Empereurs d'Allemagne, vn Roy de France, vn d'Arragon, de Leon, & vn d'Angleterre: faict aussi ranger l'vn desdits Empereurs à ses volontez accablé l'autre & substitué le troisiesme en la place du second: ensemble aussi rendu le Royaume & le Roy Anglois ses tributaires, & conserué la Sicile à celuy à qui elle appartenoit: mais par la force de ses indulgences auoir veu les subiets d'autruy deuenir ses hommes, confondu & opprimé par les armes (qui ne s'estoient encores prises que contre les ennemis notoires de la Chrestienté) les heretiques & ennemis declarez par luy de l'Eglise, & disposer de leurs terres comme s'il en eust esté souuerain, monstrant le chemin à ses successeurs de faire valoir les mesmes moyens contre tous leurs desobeyssans & rebelles, pour quelque occasion que ce fust. Ce que les Escriuains de sa vie, & de l'histoire des Pontifes de Rome, rapportent aux effects de sa Saincteté, par laquelle ils estiment qu'il se rendit digne d'estre mis au rāg & nombre des saincts Papes, auec Hildebrand, Victor, Vrbain, Paschal, Honoré, & Alexandre; n'ayāt en toute sa vie fait, dit, commandé, approuué ou reprouué chose qu'on ait eu occasion d'immuer ou changer apres sa mort, qui le prit ceste annee à Perouse le 16. iour de Iuillet, où il estoit allé en intention de mettre les villes de la Lombardie d'appointement ensemble (qui à son occasion s'estoyent mises en guerre l'vne contre l'autre) & les Pisans auec les Geneuois: à fin que l'entreprise du recouurement de la terre Saincte ne fust retardee par leurs dissentions, de venir à l'effect qu'il se promettoit. Nonobstāt que nostre Chronique non imprimee tesmoigne, qu'il

faiſoit dicter & minuter vne ſentence d'excommunication contre le Roy & le Royaume de France, lors que la maladie de laquelle il mourut le ſurpriſt, qui l'empeſcha de mettre à execution ſa deliberation.

SEQVITVR in ſummario referre reſponſionẽ, *Quòd irregularis excommunicatio non poterit ipſis impedire introitum Paradiſi.* Et quia ſibi videbatur hoc nimis leniter retuliſſe, in Bibliotheca[1] loco verbi impedire, reponit, vt honeſtius verbum, obturare, dicens: *Que ſi ce n'eſtoit leurs pechez, & iniquitez, qui leur empeſchaſſent l'entree à la vie eternelle, que l'excommunication irreguliere ne leur en pourroit* ESTOVPPER *l'entree.*

AT licet iniuſta excommunicatio non claudat cœli portas: negare non poteſt Vignerius, quin iuſta prẹcipitet impœnitẽtem in æternum ignem. [2] Separat enim ab Eccleſia extra quam non eſt ſalus: & quin ſententia excommunicationis, ſiue iuſta, ſiue iniuſta, timeri debeat.[3] Ait enim Io. Chryſoſtomus: [4] *Nemo contemnat Eccleſiaſtica vincula: non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui hanc poteſtatem dedit.* Et ob contentum, ideò excommunicatio etiam iniuſta valet.[5] Et debet excõmunicatus ad ſe iuſtificandum recurrere,[6] & interim humiliter pro excommunicato ſe gerere. De quibus latius dicere non eſt hic ſuus locus.

TANDEM refert proteſtatum fuiſſe, *Quod Rex Carolus non occupabat Regnum, quod Lotharij nepotis ſui fuerat, ſed illud, quod iure pacti, & contractus ad ſe pertinebat.* Vt eius formalia verba ſunt ſupra[7] regiſtrata.

HAEC reſpõſio in ſe impertinãs ipſa dici minimè

1 Part. 2. ſub anno dicto 869.

2 c. omnis Chriſtianus, 11. q. 3. & c. ſeq.

3 c. 1. & 2. 11. q. 3.

4 Relat in c. nemo, ead. q.

5 c. per tuas, § nos igitur, ver. verũ, de ſent. exc.

6 c. ſi Epiſcopus forte. in fine, c. clericus ead. q. 3.

7 fol. 117.

mè poteſt: Caluus enim ſe bona Lotharij occupaſſe pernegat: ſed id, quod ad ſe, iure pacti, & cõtractus, pertinebat, accepiſſe aſſerit, atque ad id iuſtificãdum, Romã, cũ literis, ad ſummũ Pontificem Oratores, & pretioſa dona ad ſancti Petri altare, tranſmittit; & nullũ ideò dat ſignũ, quo aut cõtumax eſſe, aut ſummi Põtificis monitionẽ paruifacere videatur: vt in ipſum ea de cauſa ad excõmunicationis fulminationem deueniri poſſet: & eò rem adducit, vt ex facti habita veritate, ſit cauſæ exitus expectandus.

VIGNERIO in ſummario videtur, ius Calui trahi poſſe ex teſtamento Caroli Magni, cuius tenorem Nauclerũ nobis reliquiſſe dicit: In ea parte qua Carolus diſpoſuit, *quòd populus illum ex ſuorum filiorum, filiis, qui ſibi magis cordi erit, in ſuum Regem poſſit recipere: præcipiens tum ſuis viuẽtibus filiis, vt huiuſmodi populi electioni acquieſcant.* Verũ quia etiam ipſimet hæc conſideratio inſipida ſatis apparere poterat, In Bibliotheca tranſit ab aliam, dicens: *Quant à ce point de droict de contract, il entend non ſeulement le cõtract faict auec Loys Roy de Germanie, pour le partage du Royaume de Lothaire. Mais auſſi la donation faicte par Loys le Debõnaire, de ceſte partie, que Charles auoit occupee dudit Royaume. Car en l'Epiſtre, que nous venons d'alleguer, il eſt eſcrit deuant ce qui en a eſté recité, que Charle affermoit, hanc Regni partem ſibi à Patre Ludouico, conſenſu tam Epiſcoporum, quam cæterorum procerum traditam fuiſſe, & à fratre Lothario ſacramento publicè confirmatam.* Proſequitur inde dicere, & eiſdem ferè verbis id, quod de teſtamento Caroli magni in ſummario dixerat.

quia Rex in fauorem legitimi successoris, vt ipsius titulus roboretur, testari potest, in illius verò præiudicium nequaquam potest. De quo videatur Guill. Benedicti in cap. Raynutius, in verbo in eo testamento, de Testamentis. *Nu.155.*

TERTIO, quia cum Caluus diceret partem Regni Lotharij ad se pertinere iure pacti, & contractus, nihil ineptius considerari potest, quàm ius illud exemplificare ex iure proueniente ex testamento: Cum pacti, & contractus appellatione, testamentum conprehendi nullo modo possit. Pactum enim & cõtractus nituntur duarum partium voluntate, testamentum verò ex vnius duntaxat volontate vires habet. At in hoc excusari potest Medicus, quia id in Aphorismis Hippocratis inuenire non potuerit.

VERVM, extrauagans est secunda cõsideratio: Qua ratione ineuitabiliter conficitur, quòd si duo spoliant tertium, & pacto inter ipsos inito spolia diuidant, si tertius spoliatus postea ab altero illorum spolium, quod est penes ipsum, repetat, poterit ille spoliatum agentem repellere, iure pacti cũ socio spoliatore initi, tunc cum spolia diuiserunt. Quod ad nouam Iurisprudentiam formãdam, animaduertere operæpretium erit.

SVPEREST tertia consideratio, quæ licet prima fronte reijcienda videatur, cum Rex non possit in præiudicium successoris, Regnum aut donare, aut de illo aliter disponere, quàm dictet lex Regia, nihilominus cum Auctores dicant, Ludouicum Pium Regna inter filios diuisisse, & quod fuerit ipsa diuisio acceptata, & iuramento confir-

mata à Lothario,& Caluo filiis, de quorum intereſſe agebatur ; videtur poſſe dici, quod ſuper ea, Lotharius, & Caluus, conuentionem ac pactum tacitè ſaltem inierint:& eſt propterea de facti veritate cognoſcendum, vt videatur,an ius ex cõtractu, & pacto illo exoriens, pro Caluo Rege, aut pro Ludouico Imperatore,militet : & eſt ideò res altius repetenda.

Cvm itaque Ludouic⁹ Pius Imperator ex vxore Irmengardi tres filios haberet, Regna inter illos diuiſiſſe ſic refert [1] Nitardus ipſius Ludouici ex ſorore nepos , *Vniuerſum Imperiũ inter eos ita diuiſit,vt Pipinus quidem Aquitaniam , Lodhuuicus autem Baioariam, Lodharius vero poſt diſceſſum eius vniuerſum Imperium haberet, cui & vnà ſecum Imperatoris nomen conceſſit.* Sequitur Nitardus : *Interea Irmengardis Regina materq; illorum deceſſit,ac paulò pòſt Lodhuuicus Imperator Iudith in matrimoniũ ſumpſit, ex qua Carolus creatur. Carolo quidem nato , quoniam omne Imperium inter reliquos filios pater diuiſerat,quid huic faceret,ignorabat. Cúmque anxius pater pro filio rogaret,tandem Lodharius conſenſit ac ſacramento teſtatus eſt,vt portionem Regni quam vellet , eidem Pater daret,tutorem, ac defenſorem illius ſe fore contra omnes inimicos eius in futuro iurando firmauit.* Et inferius.[2] ſic Ludouicum Imperatorem Lothario filio dixiſſe refert : *Ecce fili,vt promiſeram , Regnum omne corã te eſt; diuide illud prout libuerit. Quod ſi tu diuiſeris, partium electio Caroli erit. Si autem nos illud diuiſerimus,ſimiliter partiũ electio tua erit.* Et ſtatim. *Quam obrem Pater , vt æquius valuit , Regnum omne , abſque Baioaria , cum ſuis diuiſit,& à Moſa partẽ Auſtralem*

Lodha

1 *Hiſt. 1. lib. in princip.*

2 *In ſine dicti libri.*

Lodharius cũ suis elegit: quinimò & accepit: Occidẽtalem verò vt Carolo cõferretur, consensit, & vnà cũ patre corã omni populo ita se velle, annuntiauit. Hãc eãdem partitionem ita refert, Gaguinus,[1] *Cõstitutis in conspectu patris fratribus Lothario, dico, & Carolo adolescente, iam enim Pipinus mortem obierat, & Ludouicus Bauariam possidebat, Imperiũ ad hunc modum dispartitur. Totum Austrasiæ Regnum à Mosa flumine ad Vngaros vsque pertingens, Lothario attribuit. Reliquum quod ad occidentem spectat, Carolo assignat, Hæc partitio assensu procerum, & populi multi assistentis facta, & comprobata est.* Et Auctor ad Aimoinum.[2] *His peractis, & filiis, vniuersóque populo euocatis, data sibi optione Lotharius à fluuio Mosa Australem sibi tenẽdam delegit partem: occiduam verò Carolo fratri habendam reliquit: & vt haberet, coram cuncto populo se velle verbo signauit.* Eandem, & eisdẽ ferè verbis, refert incertus Auctor vitę Ludouici.[3] Ideò eius verba non refero. Satis sunt enim, vt ominor, ea, quæ dicta sunt, ad luce clarius ostendendum; primò, vniuersum Imperiũ, Baioaria, & Aquitania, exceptis, fuisse assignatũ Lothario: atque deinde consensu eius, vt Carolo Caluo cõsuleretur, diuisionẽ Regnorũ fuisse factã ac iuratam, & à Proceribus, & populis cõprobatã extitisse: qua Lothario cesserit à Mosa Austrũ versus Austrasia tota: Carolo Caluo verò ea, quę ad occidentẽ spectat, Neustria contigerit.

Verum cũ mortuo Ludouico Imperatore, Lotharius totum Imperiũ solus occupare, & arte, & vi, fategisset, & Ludouicus, & Carolus iunctis viribus illi obstitissent: sequutúsque fuisset conflictus Fontaniacus, quo cæsa pænitus tota vtrinque

[1] Lib. 4. sub Ludouico Pio.

[2] Lib. 5. cap. 18.

[3] Propè finem.

nobilitate Francica, Francia ita viribus destituta remansit, vt exinde non solum extraneas nationes, vt sueuerat, debellare non potuerit, sed ab extraneo hoste se sartam tectam cõseruare vix valuerit: & Procerum omnium consilio, ne pænitus rueret, factum est ideò, vt centum viginti, quippe ex quaque parte, quadraginta electi, rursus Regna diuiserint. Quam diuisionem sic factam fuisse, Regésque fratres sic illam acceptasse, & scriptores illorum temporũ, & posteriores referunt. Au-

1 Lib. 5. cap. 10. in fine. ctor ad Aimoinum,[1] *Ex quibus Carolus, qui appellabatur Caluus, Regnum Francorum, & postmodum Imperium Romanum, obtinuit: Lotharius vero partem, quæ vsque in hodiernum diem ex suo nomine, Lotharij Regnum appellatur: Ludouicus autem Burgũdiam sibi vẽdicauit, vnctusq́; est in Regem, Pipinus autem Aquitaniam possedit.* Otto Frisingensis,[2] *Hac diuisione Carolo Occidentalia Regna, id est à Britannico mari vsque ad Mosam; Ludouico Orientalia, id est, omnis Germania, vsque ad Rhenum, cesserunt. Lothario verò, media pars, id est Belgica Gallia (quæ eius nomine, Lotharingia vsque hodie vocatur) cum Romano Imperio sorte deuenit.*

2 Lib. 5. cap. 35.

3 Lib. 5. sub Carolo caluo. GAGVINVS;[3] *eius concordiæ formula hæc fuit, Lothario Austrasia omnis, atque Prouincia, cum portione terræ, quam ab eo postea appellatam esse quidam putant, cum Imperij diademate in partem venit: Ludouico Germania in qua Bauari sunt: Carolo Regnum Franciæ ab Oceano Britannico ad Mosam vsque relinquitur.*

2 Lib. 3. sub Carolo caluo. PAVLVS Aemylius,[4] *Delecti vtrinque quadrageni Proceres, quorum fide, prudentiáque, fida, æquaq́; pax componi posset: Conuenit vt Franciæ Rex Carolus diceretur:*

retur: eáque Arari, Rhodano, Scalde, Mosa, Oceano, Pyrenæo saltu contineretur: Ludouico Germania, Hunniáque cederet: Reliquæ opes, & Imperium penes Lotharium forent. Pipini Adolescentis respectus nullus extitit.

ADDIT non longè inferius, *Lotharius Augustus religione motus, seq; Monachum professus, tribus filijs, Ludouico, quam ante dederat, Italiam, Augustiq; nomen: Carolo Prouinciam cum altera Burgundiarum: Lothario alteram attribuit; cum ea, quæ Austrasia fuerat antea, tunc Lotharingia pro Lothariana dici ab Rege suo cœpit. Carolus Prouinciæ Rex, non diu superstes patri, muneriq; paterno fuit. eo mortuo Ludouicus, Lothariúsque fratres, sine certamine illius opes diuisêre: Ludouico Prouincia, quòd ea continens Italiæ sit, ac citerior Burgundia, reliqua cessere Lothario.*

EADEM addit etiam Gaguinus, dicens: *Lotharius sine pœnitudine peccatorum, sine tædio præsentis vitæ, permotus, distributa filijs, quos tres habebat, hæreditate: religionem apud Prumiã in Eyflia profitetur. Ludouicus grandior natu Italiam adeptus est. Lotharius Austrasiam accepit. Carolo cessit Prouincia, cum parte terræ Burgundiæ. Quo post octauum inde annum defuncto, Lotharius Burgundiam Ludouicus Prouinciam obtinuit.*

HAEC eadem ex Adone Viennensi, & Reginone, refert Vignerius,[1] dicens: *Lothaire 3. Empereur des François esmeu de quelque deuotion ou de repentance de ses fautes, se demit du soing & de l'administration de l'administration de l'Empire, pour faire profession de la vie Monastique en l'Abbaye de Prumien; ou il mourut bien tost apres, à sçauoir le 29. iour de Septembre, ayant*

1 *In Bibliot. sub anno 855 & in sũmario.*

tenu l'Empire Occidẽtal depuis le trespas de son pere 15. ans, & enuiron trois mois. Au moyen dequoy Loys 2. du nom son fils aisné demeura en possession de l'Empire Romain & du Royaume d'Italie, qui luy auoit ja esté designé cy deuant. De sorte qu'il regna 19. ans & enuiron dix mois. Mais ses deux autres freres eurent pour leur portiõ des biens de leur pere, tout ce qui luy auoit appartenu en la Gaule deçà les Monts. Dequoy ils firẽt partage entr'eux: par lequel Charles eut auec la Bourgongne Transiurane les pays des Alpes, & les Comtez de Prouence & du Daulphiné: Lothaire la Bourgongne, où est auiourd'huy la Franche-Comté, auec ce qui estoit anciẽnement du Royaume d'Austrasie deça le Rhin; qui commença par luy d'estre nõmé le Royaume de Lorraine. Et rursus. [1] *Charles Roy de Prouence, appellé par Flodoard Roy de la Gaule Cisalpine, mourut: tesmoin Regino, ceste annee. Combien qu'Ado & Guillaume de Malmesberie estiment, que ce fut huit ans apres le trespas de son pere. Mais tant y a qu'il ne laissa aucuns enfans. Au moyen dequoy Charles Roy de Frãce se voulut empieter de son Royaume: dont il entra en dispute auec le Roy Lothaire, qui en fin le fit retirer chez soy, à l'aide que luy enuoya l'Empereur Loys: ausquels la succession de leur pere appartenoit legitimement. De sorte qu'ils la departirẽt entr'eux, en telle maniere que Loys retint toute la Prouẽce & le Daulphiné à soy, auec le pays des Alpes: Lothaire toute la Bourgongne, qui est depuis le mõt S. Bernard iusques au Vauge.* Vlterius, [2] *Cependant le Roy de Germanie, apres auoir enuoyé semmer le Roy Charles de se deporter du Royaume du feu Roy Lothaire, le fit en fin condescendre de luy faire part de sa prise: d'autant qu'il luy eust fallu auoir le frere & le nepueu ennemis*

1 Sub anno 858. vbi supra.

2 In summario, & Bibliotheca, sub anno. 870.

nemis tout ensemble. De sorte qu'ils s'accommoderent entr'eux, en telle façon que Charles luy quita la haute Lorraine, retenant la basse pour soy, auec la frãche-Comté de Bourgõgne & la Principauté de Vienne en Daulphiné. Ce qui fut accordé le 28. iour de Iuillet.

VERVM, cum ex supra latè relatis, ipsiúsquemet Vignerij dictis, clare de facto constet: & ex facto ius oriatur, ita vt de veritate propositæ quæstionis iam determinari perfacilè possit, superest vt illam, nempe considerationem Vignerij tertio loco factã de iure pacti, & cõtractus, militet necne illa pro Carolo Caluo, pro quo illam cõcepit: an vero cõtra ipsum Carolum faciat, explicemus. Habetur ex facto, Ludouicum Pium Imperatorẽ vniuersum Imperiũ Lothario assignasse, exceptis Bauaria, & Aquitania, quas Ludouico, & Pipino filiis, dederat. Quòd nato postea Carolo Caluo, ei Ludouicus Pater, assensu etiam Lotharij, Neustriã Caluo ad Mosam vsque dedit, Lothario verò Austrasiam, quæ postea Lotharingia dicta est, ipsiusmet electione, dimisit. Clarè etiam habetur, quod mortuo Ludouico Pio patre, Lotharius nixus est, vt primogenitus, omnia Regna ad se trahere, quod repugnãtibus fratribus, post conflictũ Fontaniacum, rursus Regna inter se diuisere: Quod Ludouicus Germaniã habuit, Caluus Neustriam vsq; ad Mosam, Lotharius verò Austrasiã à Mosa ad Rhenum vsque, & Imperium. Nec minus clarè habetur, quòd cum Lotharius, cesso Imperio, Monasterium esset ingressus, illius filij, Ludouicus, Lotharius, & Carolus, Patris Regna inter se diuidẽtes, Ludouicus Italiam & Imperium; Lotharius Austra

Austrâsiam, ab ipso postea dictam Lotharingiam, Carolus Prouinciam, sunt consequuti. Quod mortuo Carolo, Ludouicus, & Lotharius fratres, illi successere.

Et clarè etiam igitur cõstat, tam ex patris prima concessione, quàm ex diuisione postea facta Patris auctoritate, iurata, & à Proceribus confirmata, quod ius regni Austrasiæ ad Lothariũ semper pertinuerit; quod Ludouicus Lotharius, & Carolus patri Lothario Imperatori, pacificè successerint; & quod Ludouicus & Lotharius Carolo fratri mortuo itidem successere. Quod fieri non potuisset, si Carolus Caluus; & Ludouicus Germaniæ ius aliquod ad Regnum Austrasiæ habuissent, aut se habere iustè prætẽdissent. Et sequitur quòd nec iure pacti, & contractus, nec ex diuisione facta cum Ludouico Germaniæ fratre, ius aliquod acquiri ad illud Regnũ à Caluo potuerit: & quod satis insulsè hanc considerationem pro Caluo posuerit Vignerius; cum illa pro Ludouico Imperatore apertè militet, & Caluum ipsum lætaliter iugulet: Cum quemadmodum à successione Lotharij Imperatoris à filiis; & à successione Caroli Prouinciæ Regis ab illius fratribus, ipso etiam se opponere conante fuit exclusus; eadem & pari ratione debeat à Ludouico Imperatore à successione Lotharij eius fratris excludi. Frater enim fratri per gradum est patruo proximior, & successio ad proximiorem lege Regni, semper defertur: Id quod in hac quæstione Vignerius etiam dicit. Is enim cum dixisset, [1] Cuspinianum, Onufrium, & Sigonium, dicere, quod Lotharius Rex reliquisset si

[1] Sub anno 870.

ſet filium nomine etiam Lotharium,& ipſe id non probaret,ſequitur, *La difference qui fut entre les Rois Loys & Charles,pour la ſucceſſion du Roy Lothaire,fait ſembler qu'il n'auoit point de plus proche heritier que eux,ne s'eſtant preſenté perſonne pour debatre le droict d'iceluy.* Quibus verbis videtur Vignerius dicere, quòd ideò Caluus, & Ludouicus Lotharij Regnũ inuaſerant,& pro illo inter ſe certabant,quia ſe illius proximiores putabãt hæredes:aliter Regnum illud tanquam ad ſe non pertinens , non occupaſſent. Id quod Caluus ipſe facto declarauit.nãque cum Carolo Rege Prouinciæ defuncto , eius Regnum Caluus prætendere voluiſſet, Lothario , & Ludouico Caroli fratribus , ad quos , etiam teſtimonio Vignerij ſupra relato, [1] ſucceſſio,quæ eotũ patris fuerat legitimè pertinebat , ſe opponentibus , Caluus deſtitit ab incepto : & Lotharius , & Ludouicus fratris Regnum , inter ſe , pacificè diuisêre. *1 Fol. 246.*

At non poſſum non mirari de ea huius ſcriptoris,quam alias laudaui diligentia , cum , vt impugnandi Pontificis Romani poteſtatẽ, & actiones, anſam arripiat , negligẽtem ſe diligenter eſſe minimè curet. Dicit hic Caluum & Ludouicum Lotharij Regnum inuaſiſſe,quia putabant ſe Lotharij proximiores hæredes exiſtere. & nihilominus eodem ferè tempore inuectus erat in Adrianum Pontificem, ac Franciam totam in illum concitauerat,quia Caluum monuerat vt Lotharij Regnũ, quod inuaſerat , Ludouico Imperatori Lotharij fratri,& proximiori hæredi,& qui illud repetebat, reſtitueret . credo enim Vignerium non ignoraſ-

ſe Lu

se Ludouicũ Imperatorem esse Lotharij fratrem: Nec etiam ignorasse fratri fratrẽ patruo esse proximiorem: cum primum sæpius ipsemet dicat: secundum verò scire debuerit, aut nimis crassè ignorare.

1 Sub anno 869. Et rursus, cum supra dixisset,[1] quod ius pacti, & cõtractus, quo se Caluus defendebat, haberi poterat ex pacto facto cũ Ludouico Germaniæ fratre, dum Lotharij Regnum occupassent, & diuisissent: hic factum illud posteriori tempore factum fuisse refert,[2] his verbis: *Ce-pendant le Roy de Germanie apres auoir enuoyé sommer le Roy Charles de se deporter du Royaume du feu Roy Lothaire, le fit condescendre de luy faire part de sa* PRISE. Et duo facit; vnũ, nempe quod pactum supra allegatum, prius allegatum fuisse, quàm factum declarat. Alterũ, quod declarat pactum factum fuisse super spolio, & occupatione; quod verbum ipsum, SA PRISE, satis ostẽdit: & sic quòd ideò ex pacto inito cum socio iniustæ occupationis, ius aliquod consequi non poterat: ipsomet teste.

2 Sub anno 870.

Qvandoqvidem iam plenè ex dictis constat, quod Regnum Austrasiæ, Lotharij fratris successione Ludouici Imperatoris erat: quod Caluus ad illud nullum ius habebat. & quod, ex iniusta illius occupatione, ruperat pactum, toties ab ipso cum Lothario Ludouici Imperatoris patre initũ, iuratum, & à Proceribus vtriusque partis confirmatum: Quod à fratre suo Lothario seruari, ante bellum Fontaniacum, tam sæpè, tanta cum instãtia, Caluus ipse petierat, vt videri ex dictis potest, & refert[3] Nitardus eorum nepos sæpius, & disertis ver

3 Lib. 2. in princ.

tis verbis sic de Caluo ipso loquens : *Missos, videlicet Nitardum, & Adelgarium, delegit, & vti ocius valuit, ad Lotharium direxit, mandans ac deprecans, vt memor sit sacramentorum, quæ inter se iurauerant, & seruet quæ inter illos pater statuerat; insuper etiam fraternæ filioliq; conditionis meminerit : haberet sua sibi, & quod illi pater suo consensu concesserat, absque conflictu vllo habere permittat; promittẽs si hoc faceret, fidelem se illi & subiectum fore velle, ita vt primogenito fratri esse oporteret.* Et rursus. [1] *Insuper autem Exemenonem ad Lodharium direxit, solito more humiliter præcepit vt roget, vt obsecret, meminerit quod frater, filiolúsque eius sit: Meminerit quæ pater inter illos statuerat, quæ tam is quàm & sui inter illos iurauerant: Meminerit quæ nouissime iudicio Dei inter illos voluntas eius declarata sit. Et si horum omnium recordari nolit, cesset à persecutione sanctæ Dei Ecclesiæ, misereatur pauperum, viduarum, orphanorum, & Regnum à Patre, suo consensu sibi datum vt ingrediatur omittat, ne forte iterato populum Christianum ad cædem mutuam confluere compellat.*

1 Eo. lib. 2. versus finem. & lib. 3. post princ.

Et clarum est quod ex iuramenti fractione, Deum, per, quem iurauerat, cuiusque numẽ spreuerat, offendit: Dei legem, & Ecclesiam quarum virtutem, & auctoritatem vilipenderat: atque peccauerat in fratrem, cuius, contra iuramentum, Regnum inuaserat.

Qvòd est etiam clarum, quod Ludouicus Imperator, pro sua consequenda Iustitia, Regnóque recuperando, recurrit ad summum Pontificem: Quod tum ob spretum iuramentum, cuius cognitio spectat ad Ecclesiã; tũ ex iniusta occupatione Regni Lotharij, Ludouicus Germaniæ & Caro-

lus Caluus irritabant Imperatorem Ludouicũ ad bellum in sui Regni recuperatione, & turbabant Ecclesiam, & Rempublicam Christianam, cuius quietis pacisque cura commissa à Christo principaliter est Petro, & suis successoribus: Et quod propterea summus Pontifex Adrianus, tam vt Imperatori Ludouico petitam Iustitiam administraret, quàm vt ex iniuncto sibi à Christo oneri, pacem, & quietem conseruaret in Ecclesia, cũ pacis Deus non rectè colatur extra tempora pacis, dum Ludouicum Germaniæ, & Caluum monuerat, vt Regnum Lotharij ad Imperatorem illius fratrem restitueret, aliter excommunicationem sit minatus; eo munere, quod suum, & proprium erat, & cui nisi se ipsum, suámque potestatẽ deserere voluerit, deesse minimè poterat, functus est, & nemini ideò iniuriã fecit, neminémque læsit. Quinimo ipsius animi candorem eo eo illustriorem ostẽdit: Cum pro sui muneris, petitæque Iustitiæ, explicatione, duos summos illius temporis Reges, cum anathematis comminatione, monere non sit veritus. Nec debebat, aut poterat propterea Franciæ Consilium, Lotharingiæque status, in Adrianum, vt Vignerius dicit, tantum indignari. Vt, & si Hincmarum monuerit, quod non parente Carolo Caluo, ab illius communicatione se subtraheret, non poterat, nec debebat Hincmarus ex hoc conqueri; Cum id sæpius mãdauerint Apostoli, & fieri iusserit Christus: vt est supra ostensum. Et ad finem id Hincmaro Adrianus iniunxisse dicendus est; Vt cum Caluus senserit se à viro sancto vitari, culpam suam agnosceret, & se emendaret, vt Lu-

douicus

douicus Germaniæ ipsius frater fecit, qui post Pontificis monitionem, eam partem Regni Lotharij, quam, ex diuisione cum Caluo facta, retinuerat, Ludouico Imperatori suo ex fratre nepoti restituit: vt ex dictis supra hæc omnia constant.

ET luce clarius ideò ex his Vignerij vlcerata audacia, ne impudentia dicatur, planè manifestatur, qui ore impuro, insolētibúsque & odiosis verbis, de summis Pōtificibus Christi in terris Vicariis ita loquitur, vt si de mulæ suæ Magistro diceret, non aliter loqui deberet. Et eapropter quanta sit illi fides adhibenda, dū passim, in suis scriptis, parilia intonet, quisquis ab affectibus semotus pernoscere facile possit.

ROMANI etenim Pontifices illi, quorum Vignerius actiones carpit, & denigrare desudat, hi fuerunt; Agapetus vis sanctus, & qui, auctore Genebrardo, [1] sanitate reddita Claudo, & muto, miraculis claruit. Et de quo Platina cum Iustinianus Imperator ipsum, dum Constantinopoli esset, vt Eutychianam hæresim auctoraret, tentaret, sic refert. [2] *Verum cum Iustinianus ab ea re hominem sanctissimum abhorrere cerneret, precibus minas addit: tum Agapetus, ego inquit, ad Iustinianum Christianissimum Principē venire optaui, sed Diocletianum inueni, quem Christianorū hostē fuisse cōstat.* Quo ingenuo, cōstantíque responso Iustinianū ipsum Catholicum reddidit. Et huius nihilominus excōmunicationes nō tam longè se extendere potuisse vt Franciam attingerent, ipse balbutit.

1 *Sub anno 533. in nota chronol.*

2 *In eius vita.*

GREGORIVS IIII. quem petit Vignerius ab Italicis scriptoribus liberari à coniuratione in Lu-

1 In vita illius.

2 Lib. 5. cap. 14.

3 sub anno 858.

4 In eius vita.

5 sub anno 858. Ia Bibliotheca.

douicum Pium Imperatorem, & ipse vir sanctus fuit; De quo Platina sæpius minus æquus Romanis Pontificibus, ait:[1] vt supra etiam retulimus, *Gregorius Pontifex nobilitate insignis, sanctitate clarus, doctrina, & eloquentia præcipuus, diligentia, & sollicitudine, tum in rebus diuinis, tum in humanis, admiratione dignus. Nam & populi sui commoda mirum in modũ curauit, diuites in officio continendo, pauperes pascendo, desperatos solando, errantes sanis admonitionibus in viam rectam deducendo. Ecclesias quoque multas vetustate collapsas restituit. Electos in sortem Domini doctrina, & exemplo, quoad vixit, in officio continuit.* Et hũc nihilominus vult Vignerius in Ludouicum Pium coniurasse: Nec voluit videre ipse diligens historiarum scrutator, quòd Auctor ad Aimoinum innocentiam ipsius Gregorij Pontificis apertè declarat, dicens:[2] Tandem ad id ventum est, vt filios Imperatoris in vnum cum copiis, quibus poterant, & coïre facerẽt, Gregoriúmque Papam aduocarent, sub ornatu, quasi qui patri solus filios reconciliare deberet, & posset.

NICOLAVS Magnus, ob vitæ integritatẽ, eximiásque animi dotes, dictus à Genebrardo, *Incõparabilis, atque formidabilis Regibus, & tyrannis.*[3] Et de cuius electione Platina dicit,[4] *Nicolaum absentem Pontificem creant; & fugientem in Vaticanum, latitantemq; vitandi honoris causa, conquisitũ in atrium Lateranẽse perduxerunt, & nolentem etiam in solio Apostolico collocarunt.* Hic nihilominus & Probus & Magnus, Vignerij charitatem effugere nõ potuit. Is vtique cum de Nicolao dixisset,[5] *Les historiens, qui escriuent l'histoire des Papes, l'ont tellement prisé à cause de sa bonne vie, qu'ils ne font point difficulté de le*

preferer à tous les Papes, qui l'ont precedé depuis Gregoire le Grand; d'autant mesmement qu'il aduãça plus la puissance & auctorité de son Siege, qu'aucũ autre n'auoit faict: estant le premier qui mit en practique tout ce qu'on dit que les autres luy auoyent attribué par leurs cõstitutions, & ce que luy-mesme s'attribuoit par les sienes. Et alibi, [1] *Iean Archeuesque de Rauenne desirant remettre son Eglise en son ancienne auctorité & liberté, trouua moyen de s'insinuer en la grace de l'Empereur Loys, souz l'appuy duquel il se veult departir de l'obeyssance, & subiectiõ du Pape; allegãt qu'il n'auoit aucune superiorité ny puissance sur les autres. De sorte qu'il empeschoit qu'aucune appellation n'allast de son Diocese à Rome, destournant aussi tant qu'il pouuoit ceux qui y alloyent par deuotiõ, qu'il disoit estre superstition. A cause dequoy le Pape Nicolas feit assembler vn Concile de certains Euesques à Rome, auquel il fut cité, & en defaut de cõparoir condãné, & excõmunié par contumace. Qui fut cause que tout le mõde se separa de sa cõpagnie, & frequentation: dõt il fut en fin reduit à la necessité de s'aller soubs-mettre à tous les vouloirs, & cõmandemẽs du Pape, la puissance duquel fut grãdement augmentee par ceste victoire, cõme la plus part des historiens d'Italie recitent.* At postquam ista satis miscellaneè retulisset, audiamus quid subiungit. dicit enim, *Mais il se trouue vn Autheur, qui viuoit en ce siecle, lequel parle de ce differẽt en ceste sorte: Præsidebat tũc Rauẽnati Ecclesiæ Ioãnes Archiepiscopus, qui seruiẽs Imperatori familiarier erat. Vnde inuidia ductus Romanus Pontifex nomine Nicolaus exarsit in irã contra illum, vocãs eum subdole Romam, vt quasi Ecclesiastico iudicio posset hunc condemnare, & alterum subrogare.* Subdit, Ra-

1 Sub anno 862. in eadem Bibliotheca.

uennatem cōfugisse ad Imperatricem,& ab ea cōmendatum Imperatori,&quia Pontifex illum insscio Imperatore excommunicauerat,inimicias ortas esse inter Pontificem & Imperatorem, qui inuito etiam Pōtifice sæpè Rauennatē Romam ducebat, qua de re iratus Pōtifex iamiam Imperatorē exauctorare cogitabat:& id fecisset, nisi(vt Vignerius credit) vires illum defecissent.

ET sic Vignerius,vt Pontificibus imponat,nouos sine nomine promit Auctores, & incognitas edit historias: atque facit Pōtifici inimicū Imperatorem illum, quē Platina obsequiosissimū Pontifici fuisse, ita refert,[1] *Cum verò Ludouicus ipse ab Vrbe discessisset,cōsedissetque in loco,quem Romani quintum appellant, eò profectum Nicolaum ferunt cum Proceribus Vrbis Romæ,itá que honorificè susceptum,vt Imperator ad mille passus Pōtifici obuiā factus,ex equo descendens, eum freno manibus attrectato in castra perduxerit.* Et inferius de Rauennate ait. *Nicolaus verò Pontificia dignitati admodū consulens,Ioānem Archiepiscopum Rauennatem, ad Sedem Apostolicam propter obiecta crimina venire recusantem,dignate priuauit. Is autem Papiam ad Ludouicum confugiēs,ab Imperatore literas commendatitias ad Pontificem obtinuit, & legatos,qui à Pontifice impetrarēt, vt Ioāni Archiepiscopo Romam ad causam dicendam tuto proficisci liceret: quad haud grauatè Pontifex concessit.Ioānes autem,facta dicendi copia in magno Præsulum conuentu,in domo Leonina,nil aliud fassus est,quàm se Maiestatis reū esse, ob eam rem, & à Pontifice,& ab his qui eo in conuentu aderant,se veniam petere.* Et cum Pontifex tum ea cōfessione,tum eorum, qui aderant precibus motus,

[1] In vita illius.

tus,in gratiam Rauennatem recepiſſet,additis aliquibus conditionibus, vna maximè, vt ab hæreſi ſe expurgaret:proſequitur Platina, *Has autem ſanctiſſimas iuſſiones tota Synodus ita approbauit, vt ab omnibus ter acclamatum ſit,Rectũ Iudiciũ ſummi Præſulis, iuſta definitio Paſtoris vniuerſalis Eccleſiæ, ſalubris inſtitutio Chriſti diſcipulis,omnibus placet. Omnes autem eadem dicimus,eadem ſapimus, eadẽ iudicamus. Tum vero Ioannes, videntibus omnibus,eadem ſe cõſeruaturum iureiurando & ſcripto confirmauit.*

RVRSVS cum Lotharius Rex,ob repudiũ vxoris ſuæ Thietbergæ,Aquenſis Synodi auctoritate, reliquis ea de cauſa, Eccleſiis Galliæ ſcandalum magnum dederit, dicit Vignerius:*Qui firent d'autant plus hardimẽt prendre cognoiſſançe de ceſte matiere au Pape Nicolas, apres que les freres de la repudiee l'eurent rapportee deuant luy. Car ce fut la premiere,qui leur ouurit le paſſage pour faire venir toutes les appellations des Egliſes de France à Rome.*

ET eſt itaque ſemper (vt clarè videtur ex dictis) Vignerius in eo totus, vt aut Põtificum actiones denigret, aut illorum poteſtatem obnubilet, aut demonſtrare nitatur, quod quicquid agunt, id faciãt,vt ſiniſtro modo auctoritatem,& Iuriſdictionem vſurpẽt; ac ſi magnitudo poteſtatis à Chriſto illis relicta,illis non eſſet ſatis.Adeò vt ad nullum alium finem ſuas Bibliothecas cõpilaſſe videatur.

ADRIANVS II.in quem acerbius inſurgit Vignerius,& ipſe vir ſanctus,dum eleemoſynas pauperibus impartiretur, ante Pontificatum miraculis ſplenduit,vt Platina teſtatur,[1] qui addit,*Adrianus autem Pontificatum adeptus, omnia, quæ ad honorẽ*

1 *In eius vita.*

summi Dei pertinerent, diligenter circũspiciebat, verbis exemplo, auctoritate, tum sua, tum maiorum, vnũ quemque ad benè, beateq; viuendum cohortatus: Circumuentis etiam aliorum Iudicijs, & potontia, acerrimè tutatus est.

INNOCENTIVS III. vt Platina ait,[1] *Patria Anagninus, patre Trasimundo, ex familia Comitũ; vir etiam ante Pontificatum doctrina, & moribus insignis.* Et in fine. *Vt cumque est, constat eũ, in quouis genere vitæ, probatissimum fuisse: dignumq; qui inter sanctos Pontifices censeatur.* Mitto quòd Decretales eius, quæ ferè solæ canonici iuris corpus efficiunt, auctoris sui sanctitatem demonstrant. quin & eius Probitas Vignerium ipsum etiam reluctantẽ coëgit, vt de illo encomium illud promeret, quod supra[2] registrari curauimus. At, si de istis Vignerius ita triumphat, quid de aliis faciat videre, ocularibus non est opus.

[1] De vita eius.

[2] fol. 128. & seq.

VERVM superest, vt epistola, quam Vignerius vt Hincmari refert, Hincmari non esse, sed ab aliquo, Vignerij non absimili, conficta, & sub nomine Hincmari edita, verisimilibus indiciis, & veris rationibus, demonstretur.

QVÒD hæc Epistola Hincmari non sit, ex eo potest verisimiliter videri, quod inter eas omnes Hincmari Epistolas, quas Flodoardus in vita ipsi* Hincmari refert, ne pars vlla quidem huius reperitur: & verisimile non est, quòd illam non retulisset, si fuisset Hincmari; cum alias affinis materiei ad Pontifices scriptas referat; vt ex ipsis Epistolis videri potest, quæ in Gallicum sermonem versæ à Nicolao Chesneo, impressæ sunt Rhemis, anno

1580

1580. sub titulo, *De l'histoire de l'Eglise Metropolitaine de Rheims.*

Verum, cum in ipsa dicatur, quod non poteſt quis inſimul Rex eſſe & Epiſcopus: & id dictum clarè falſum ſit, vt oſtendimus. Et rurſus dicatur in ea, ſecularem omnē ſcripturā dicere; quod quodlibet huius ſæculi Regnum bello quæratur, non autem obtineatur excommunicationibus; & hoc etiam falſum eſſe ſupra oſtenderimus, cum Regna iuſta electione, aut legitima ſucceſſione, acquirantur: & ex excommunicationibus iuſtus titulus detur ad Principatus: Certè Hincmarus vir doctus, & probus, neque vt ſua, neque vt ab aliis propoſita, ſummo Pontifici ſcribens, tam abſona, & iuri contraria enuntiata dixiſſet.

At cum hæc formaliter in ea legantur, *Et non conuenit vlli Epiſcopo dicere, vt Chriſtianū, qui non eſt incorrigibilis, non propter propria crimina, ſed pro terreno Regno alicui tollendo, vel acquirendo, nomine Chriſtianitatis debeat priuare, & eum cum diabolo collocare, quem Chriſtus, ſua morte, & ſuo ſanguine, de poteſtate diaboli venit redimere. & Chriſtianis pro fratribus animas ſuas docuit ponere.* Nonne videtur Hincmarus tā inſcius imprudénſque non fuiſſe, vt has ineptias effutiſſet? Quis non videt fatuitatem eſſe, dicere quod Regnum alicui auferre non ſit propriū crimē? Quis diceret Chriſtianum corrigibilem illum eſſe, qui Regnum aliquídve aliud alicui aufert, iniuſtè retinet, & reſtituere pertinaciter recuſat? Quis ignorat illum, qui voluntate peruerſa, crimine proprio, recuſat Chriſti ſanguine redimi, iuſtè cum diabolo collocari? cum non re-

mittatur peccatum, nisi restituatur ablatum: Quis non ad sensum percipit summum Pontificē dum aliquos monet, non aliud facere, quàm animā pro fratribus & filiis ponere, illorúmque salutem quęrentem, Pastorali munere, ad gregem retrahere, & è manibus diaboli, cuius potestatis propriis criminibus se fecerunt, paternè curarè? Valeat igitur Vignerius, cum suis imposturis, quandoquidem quæ ipse asserit se ab Aimoino, & Epistolis Hincmari habuisse, ea nec Hincmarus, nec Aimoinus seu potius Auctor illius, quem supra retulimus, dicit. Et ad institutum, vnde, suis satis ineptis inuentionibus, nos deuiauit longius, redeamus.

IOANNES, Platinæ 17. Genebrardo 16. Onufrio verò 15. ea Concilij acta, quibus, annitente Hugone Capeto, Arnulphus Lotharij Regis illegitimus fratrer, Rhemorum Archiepiscopatu deiectus fuerat, improbauit: ac misso Leone Legato, omnibus Episcopis, qui Arnulphum exauctorauerāt, sacris interdixit, & per Seguinum Senonensem Archiepiscopum, coacto Concilio, Arnulphum restitui iussit.

1 Lib. 5. cap. 45. De qua re dicit[1] Auctor ad Aimoinum; *Congregans in Vrbe Remensi Synodum, in eum locum idem Huguo Rex inuitauit Archiepiscopum Senonicæ Vrbis nomine Seguinum, cum suffraganeis suis, in quo Concilio fecit degradare Dominum Arnulphum Archiepiscopum Remorum, dolo nepotis sui, quem tenebat in carcere: dicens non debere esse Episcopum natum ex concubina.* Et statim, cum dixisset Seguinum non cōsensisse, sed redarguisse Regem: & Arnulphum tribus annis, Aureliani carceratum mãsisse: Subdit, *Nuntian*

tiantur hæc omnia Præsuli Romano, qui valdè indignatus super hoc facto, interdixit sacris omnibus Episcopis, qui Arnulphum deiecerant, & Gebertum ordinauerāt. Misit quoque Leonem Abbatem à Sede Apostolica ad Dominum Seguinum Archiepiscopum Vrbis Senonicæ, qui vice sua in Vrbem Rhemensem Synodum congregaret: mandans illi vt sine dilatione reuocaret de carcere Arnulphum, & degradaret Gebertum. Collecto igitur Concilio iterum in Vrbe Rhemensi, ex iussione Apostolici, reuocatus est Arnulphus de custodia, & cum honore magno receptus in propria Sede.

GAGVINVS,[1] *Arnulphū præterea Lotharij fratrem nothum Rhemorum Pontificem, Synodo Episcoporum habita, ab Vrbe deiectū in vinculis cōiecit, & Rhemis Gelbertum philosophum posuit Antistitem, Romani tamen Pontificis Ioannis edicto Arnulphus per Seguinum Senonum Præsulem (reuocato Gelberto) restitutus est.*

[1] *Lib. 5. sub capeto.*

PAVLVS Æmylius,[2] *Arnulphus Lotharij Regis Franci frater, materno genere impar Archiepiscopus Rhemorum coacto Patrum Concilio ob paternam Maiestatem Hugoni inuisus, prætextu illegitimorum natalium è Sede deiicitur, reclamante vno Seuino Senonum Archiepiscopo.* Et statim. *Plus leges quam* Regis *voluntas valuere. Ioannes Pontifex Maximus Leonem in Franciam Legatū misit, qui cognita causa, Concilij acta rescidit: Hortatus Hugonem, vt contentus* Regno, *quod immortale optaret in domo sua esse, cū Sene Archiepiscopo bellum non gereret.*

[2] *Lib. 3. sub Roberto Rege.*

VRBANVS II. Philippum I. quia Berta Hollanda vxore dimissa, Bertradam Fulconi Andegauensi nuptam in vxorē duxerat, atque carceribus

mancipauerat, excommunicauit; & Bertam ligitimam vxorem recipere coëgit: de quo Auctor ad Aimoinũ, ait: [1] *Rex Philippus, suggestione diabolica, Bertam Reginam repudiauit, &c. Et quod turpe est dicere, turpius autem facere, Fulconi Andegauensiũ Comiti suam abstulit vxorem nomine Bertradam.* Et statim. *Cũ igitur hoc nefandissimo more vitã suam duceret, Dominus Papa eius saluti prouidens, & timens ne animam eiusdẽ saluator exigeret, ipsũ, & totã terram ipsius anathematis vinculo obligauit, quã sententiã Rex, motus diuina gratia, timens, & ad terminum vitæ suæ properans, respuit, veniãq; postulans, eã dimisit.* Eadẽ cum dixisset Gaguinus, [2] addit: *Eius adulterij causa, cũ à stupro non resipisceret Philippus, Romanus Pontifex Vrbanus 2. Regi hominum cõmunionem interdixit.* Eademmet referens Paulus [3] Æmylius. dicit: *Nec nisi coactus, pellice dimissa, vxorem reduxit, Cum summus Pontifex Vrbanus aqua & igni ei interdixisset.* Et Vignerius: [4] *Le Roy Philippes de France y fut excommunié, pour auoir prins vne seconde femme, la premiere encore viuante, nommee Berthe, qu'il tenoit prisonniere au Chasteau de Monstreueil, dont force luy fut la reprendre.*

1 Lib. 5. cap. 49.

2 Lib. 6. sub ipso Philippo.

3 Lib. 3. sub eodẽ Philippo.

4 Sub anno 1095. in summario.

INNOCENTIVS III. Optimus, vt suprà diximus, Pontifex, semel, & iterum missis in Franciam Legatis, & conuocatis per illos Synodis, Philippum Augustũm piorum communione priuauit, illiúsque Regnum Franciæ Ecclesiastico supposuit interdicto, quia vxore Ingelberga Dana dimissa, alteram Mariam Morauiam vxorem duxerat: & Philippum ipsum, licet diu reluctantem, tergiuersantem, & Pontificem ipsum appellantem, Ingelbergam vxorem legitimam, relicta altera, recipe

cipere coëgit. Cum toto ipso interdicti tempore, in publicis scripturis, Philippi vice, dictum fuerit regnante Christo.

QVOD sic Gaguinus refert, [1] *Concessa Philippo à bello quiete, noua illi à Romano Legato afflictio cõsurgit, propter Ingebergam vxorem dimissam. Nam conuentu Prælatorum habito, ex eorum sententia, Legatus Philippo, & toti Regno sacris, & cõmunione hominũ interdixit: quamuis Romanum Pontificem appellasset.* Et cum Philippi sæuitiã in Episcopos, in Clerum, & Ingelbergam, retulisset, ait: *Alter à Pontifice Romano Legatus Otho Hostiẽsis Episcopus in Franciã venit, attributo sibi collega Burdegalensi Archipræsule, hic Philippum admonet* Ingelbergam *vxorem recipiat. Paruit Legato Philippus. Nam cùm Suessione Legati varijs disceptationibus, de Regis cum vxore reconciliatione agerent; Rex moræ impatiens, assumpta Ingeberga, insalutatis Legatis, concilium dimittit.*

1 Lib. 6. sub ipso Philippo.

PAVLVS Æmylius. [2] *Rex mortua Elisa vxore cœlebs, Dani Regis sororem Gelbergam vxorem duxit. Eadem intra tertium mensem, per causam propinquitatis dimissa, Mariam Ducis Moraniæ filiam superinduxit. Dano Rege per Oratores apud Pontificem Maximum agente, duo amplissimi ordinis Patres in Galliam legati venere, Regiq; denuntiauere, vt à consuetudine Mariæ temperaret. Dicto non parebat. Diuione Conciliũ Patrum habitum, decretũ, vt Franciæ sacrificijs interdiceretur. Orator Regis Pontificem Maximum appellabat, nihilo secius illõ summoto, sanctiore, arcanoq; cõuentu Romanus Frãciæ sacris de sentẽtia* Patrũ *interdicere se pronũciauit.* Et post relatã Regis irã, ait: *Deinde mitescẽte* Regis *ira, nouus Legatus ex Vrbe Octauianus*

2 Lib. 6. sub eodẽ Philippo.

nus Cardinalis affuit. Sueßione Rex *&* *Patres Franci conuenere.* Et cum dixisset, post longam expectationem, ignotum Adolescentem Reginæ causam disertè egisse, atque se surripuisse: & causę ampliationem factam, inquit, *Tunc demum* Rex *necessitatē in virtutem vertit, relictoq́; consessu, in equum cum insiluisset, post se receptam Gelbergam, in* Regiam *reduxit.* Romanus *lætus, id quod captarat, nullo iudicio facto, Cōcilium dimisit.*

1 *In summario, & in Bibliotheca, sub anno 1200.*

VIGNERIVS,[1] *En ces entrefaites le Pape, à la poursuite du Roy de Dannemarc, enuoya vn sien Legat en France, pour cognoistre de la cause de la repudiation de la Royne : lequel assembla les Prelats de France à Dijon, où par leur sentence fut le Royaume de France interdit, si le Roy ne reprenoit sa premiere espouse Isemberge. selon d'autres Isburgis. Contre laquelle interdiction toutesfois le Roy se voulut armer de l'eppellation au Cōcile futur, mais elle ne laissa pourtant d'auoir son cours: tellement que la Chronique de Foix tesmoigne que tout le temps qu'elle dura, qui fut (selon aucuns depuis le 13. iour de Ianuier de l'an 1200. à la mode* Romaine, *& selon quelque viels memoires, depuis la Chādeleur, iusques au premier d'Aoust) on escriuit* Regnante Christo, *au lieu de* Philippo. *Dont il se vangea sur les Euesques qui l'auoyent consentie, les iettans hors de leurs dioceses & benefices. Mais en fin voyant qu'il luy seroit impossible d'ē venir au dessus, il reprint sa premiere espouse, qui fit cesser l'interdiction.*

IDEM Innocentius, cum Ioannes Angliæ rex apud ipsum, vt dicebat, ob pacta non seruata, fractóque iuramento, de Philippo rege Franciæ expostulasset, Legatos ad illos iam bella gerentes

trans

transmisit, Qui, vt inquit Paulus Æmylius,[1] *Velut in rem præsentem cum venissent, vtrique Regi denūciauere vt arma deponerent, pacemq́; templis darent, quæ pleraq́; belli malis partim euersa, partim ad inopiam redacta, suis sacerdotibus alēdis non erāt: vter dicta aspernarentur, eius* Regno *sacris interdici. Anglus latus Imperio, se in authoritate sacrosanctæ potestatis fore affirmabat. Francus certam sibi victoriam de manibus eripi indignum ratus, Pontificem Maximum appellauit: interea se ius suum prosecuturum.*

1 *Lib. 6. sub Philippo Augusto.*

Et Gaguinus,[2] *Eodem ferè tempore Innocentius 3. Pontifex, missis in Franciam Nuncijs,* Regibus *mandat, bello supersedeant, pœna in contemptorem præcepti adiecta; sed Philippus appellatione aduersus Legatos se tutauit.* Nec de his plura, cum extet decretalis epistola Innocentij ipsius Pontificis, qua redacta in iuris corpore,[3] ipsius acta planè iustificantur.

2 *Lib. 3. sub eodē Augusto.*

3 *c. nouit, in tit. de Iudicijs.*

Bonifacius VIII. Philippum pulchrum communione priuauit: Quia ipse Philippus Apamensem Episcopum, vt de se fando malè sentientem, verbísque allatrantem, ad se euocasset, ac velut in custodiam Archiepiscopo Narbonēsi, vt de eo, se cōsulto statueret, tradidisset. Id refert Paulus Æmylius,[4] dicens, *Bonifacium id indigne tulisse: misisseq́; ad Pulchrum* Regem *Archidiaconum Narbonensium, qui Pontificem Apamensem dimitti iuberet. Edicto etiam proposito, iussi sunt à Bonifacio Pontifices Patresq́; Franci ad Concilium, certam in diem, in Vrbem* Romam *conuenire. Vetuit Pulcher è Francia discedi. Maiore accensus ira Pōtifex, Philippum* Regem *Francorum nominatim execratur: quòd diceret eum in Episcopum manus iniecisse, ac bona sedium vacantium fisco*

4 *Lib. 8. sub ipso pulchro.*

suo inferre, &c. simul scribebat, se Franciæ Proceres soluere fidelitatis iureiurando, quo se Pulchro deuinxisset, ac ei ius Regni abrogare, &c. Pulcher Apamensem dimisit. Diploma priusquam coactis ad id Lutetiam Patribus recitaretur, raptum Atrebas igni dedit, facessere Archidiacone procul iusso.

HAEC eadem, paucis immutatis, ex Gaguino,[1] & Platina,[2] habentur, & cum inde sequutæ sint satis impiæ tragœdiæ, de his plura dicere supersedeo.

1 Lib. 7. sub Pulchro.
2 In vita Bonifacij

IVLIVS II. Ludouico 12. schismaticum Concilium contra ipsum adornantem excommunicato, eius, fautorúmque, Regna, occupãtibus dedit; de quibus cùm Nauarræ Regnum clarissimum testimonium præ omnium oculis repræsentet, non est cur sermo longior fieri debeat.

VERVM non solum in Regibus, sed & in Ducibus, & Principibus quoties id ratio exegit, suo iure vsi sunt summi Pontifices. Cum Tassillo Dux Bauarus subdola legatione Põtificem Adrianum, & Magnum Carolum, sub specie impetrandæ pacis, ludificare niteretur, Adrianus illũ anathemate feriit: de quo sic Auctor ad Aimoinum,[3] *Cũ adhuc Rex Romæ ageret, Tassillo Dux Baioariæ misit Legatos suos, Arnum videlicet Episcopum, & Hunnicum Abbatem, ad Adrianum Papam, petẽs vt inter Regem, atque illum, mediator pacis fieri dignaretur. Nec Pontifex precibus eius censuit abnuendum, sed quãta potuit instantia, apud Regem intercedere curauit, &c. Cui cum Rex idem se magnopere velle respondisset, simulq; à Legatis inquireret, quam huius pacationis firmitatem facere deberent; responderunt sibi de hac re nihil esse commissum*

3 Lib. 4. cap. 79.

missum, nec se de hoc negotio aliud facturos, quàm vt responsa Regis, atque Pontificis Domino suo reportarent. Quorum verbis Papa commotus, velut fallaces & fraudulentos anathematis gladio statuit feriendos, si ab olim Regi promissa fide discederent.

ET RVRSVS, Paulus Æmylius,[1] de Tassilone loquẽs, *Is Vindocindum Francorum ex professo hostem receperat, alia etiam hostilia in Carolum: deprecatore Pontifice veniam impetrauit, filiumq; obsidem dedit. Post id creditus est consanguineos Bauorum Hunnos occultis Nuntijs sollicitasse. id palam fieri non potuit. conuictus est dixisse se vnicum filium Theonem obsidem dedisse: sed centum datis, nullo pignore destituturum à persequendis bello (cum posset) Francis. Hæc animi nota fidem dubijs criminibus fecit. Tassiloni igni, & aqua Pontifex interdixit.*

1 *Lib. 2. sub Carolo Magno*

ET Hugo Magnus, Hugonis Capeti pater, à Sedis Apostolicæ Legato excommunicatus fuit. De quo ait Frodoardus,[2] *Laudunum adeunt, & cõgregati Episcopi prædictum Tetbaldum excommunicãt. Hugonem verò Principem vocãt literis ex parte Martini Legati Apostolicæ Sedis, & sua, venire ad emẽdationem, pro malis, quæ contra Regem, & Episcopos egerat.* Et post primam & secundam dilationem, subdit: *Excommunicatur Hugo Comes, &c. pro supra memoratis malis ab ipso perpetratis, eo tamen modo, donec resipiscat, & ad satisfactionem coram Marino Vicario, vel Episcopis, quibus iniuriam fecit, deueniat. Quod si facere contempserit, Romam pro absolutione sui proficiscatur.*

2 *In Chr. sub anno* 948.

QVANTA verò fuerit Romani Pontificis tunc in Francia Auctoritas, & reuerẽtia, ex Frodoardi rela

relatioce dignoſci facilè poteſt. dum enim tractaretur de reſtitutione Hugonis Epiſcopi ad Remēſem Epiſcopatum, ſic refert[1] dicere illos, qui diſ-
1 Sub anno 962. ſentiebant: *Quòd à tot Epiſcopis excommunicatus à minore numero abſolui non poteſt: Ita relinquitur vſque ad interrogationem Papæ Romani.* Et inferius. *Legatio veniens à Ioanne Papa intimat præfatum Hugonē quōdam Epiſcopum tam ab ipſo Papa, quàm ab omni Romana Synodo excommunicatum.*

At non abs re erit, ſi quid dixerint, quídve egerint hi Reges, híque Epiſcopi, qui à ſummis Pontificibus aut excommunicati, aut ſub excommunicationis comminatione moniti in Frācia fuerunt, plenè pernoſcere nitamur.

Clotarius I. homicidium in perſona Galteri Iuetoti ſacrilegè commiſſum, ad Pontificis Agapeti monitionem, Iuetoti ditionem à Frācorum Regum, & Regni poteſtate penitus eximens, expiauit: vt eſt ſuperius[2] dictum.

2 Fol. 100. Synodvs, quæ in gratiam filiorum Ludouici Pij, Ludouicum ipſum Imperio deiecerat, à ſummo Pontifice Gregorio 4. exauctorata ſine viribus remanſit. Ebo Epiſcopus ſe ipſum indignum ſacerdotio eſt confeſſus. Cæteri fugerunt, & Agobertus Lugdunenſis Archiepiſcopus Præſulatum
3 supra fol. 108. & ſeq. amiſit.[3]

Lotharivs Lotharingiæ Rex, Lotharij Imperatoris filius, ob ſuperinductam repudiatæ vxori concubinam, à Nicolao Magno piorum cōmunione priuatus, cōcubinam Valdradam quādoque
4 supra fol. 108. & ſeq. dimiſit. Et cum, ad placandum Pontificem ipſum, Romā iuiſſet, rediēs Placētiæ obiit.[4] Guntharius verò

verò Agripinæ Coloniæ, & Tietgaudus Treuerẽsis Archiepiscopi, Lhotarij Fautores, ab ipso Pōtifice Nicolao Archiepiscopatibus priuati; post lōgam tergiuersationem, veniam implorantes, auditi minimè fuere.

LVDOVICVS Rex Germaniæ, & Carolus Caluus Rex Franciæ, Fratres, ab Adriano 2. summo Pontifice, sub anathematis comminatione moniti, vt Lotharij Regis Regnum, quod occupauerant, Ludouico Imperatori Lotharij fratri restituerent: [1] Alter, Ludouicus nẽpe, portionem, quam detinebat, restituit. Alter verò, Caluus, Ius ad illud prætendens, ius suum, transmissis legatis, ante Pontificem, se propositurum prosecuturúmque obtulit.

1 Supra fol. 166. & multis sequẽtib⁹

CVM Ioannes Pontifex sacris interdixisset omnibus Episcopis, qui promouente Hugone Capeto Rege, ab Rhemorum Archiepiscopatu Arnulphum deiecerant, & Gerbertũ ordinauerant, Arnulphus ipsius Ioannis Pontificis Auctoritate restitutus, Ecclesiam suam retinuit: [2] & Gerbertus deinde ad Rauennatem Ecclesiam promotus, Romanam tandem est cōsequutus, & Syluestri 2. sortitus est nomen.

2 Supra fol. 152.

PHILIPPVS I. Rex Franciæ cum vxorem Hollandam repudiasset, alterámque Bertradam assumpsisset, ab Vrbano 2. Pontifice ob id excommunicatus, Pontifici parens, dimissa Bertrada, Hollandam legitimam reassumpsit. [3]

3 Supra fol. 154.

EADEM de causa Philipus Augustus ab Innocētio 3. extra Ecclesiam dictus. vxore enim Maria Morauia ducta, Ingelbergam Danam, dimiserat:

L

Tergiuersans, reluctans, atque Pontificem ipsum appellans, à Pontificis Legatis pressus, Morauia dimissâ,[1] Danam ad se retraxit.

1 Supra fol. 154.

Et cum ideo Augustus Ioannésque Angliæ Rex, se bello persequerētur, & idem Innocentius per Legatos, à bello illos discedere, sub excommunicationis comminatione, iussisset,[2] Ioannes se in Pontificis potestate esse dixit. Philippus verò pōtificem ipsum, ne ius suum desereret, appellauit.

2 Supra fol. 157.

Philippus Pulcher à pontifice Bonifacio excommunicatus, post tragœdias in Bonifacium actas, ab illius successore Benedicto X. se Regnūque suum absolui procurauit.[3] Et is nihilominus, ex suo corpore, secūdum hæredem in Regno non habuit; Primus ex Capetis, qui ex filiis Nepotem Regem non reliquerit. Filij vtique eius Ludouicus Hutinus, Philippus Longus, & Carolus pulcher, vnus post alterum, sine filiis decedentes, Regnum ad lateralem lineam transtulerunt, cum ad illam diem, à Capeto, semper filij patribus successissent.

3 Io. Tilius in chrōn. sub anno 1304. Plat. in vita Benedicti.

Lvdovicvs XII. Iulio 2. pontifici aduersans, & ab illo piorum communione priuatus; Cōciliabulum in illum indici curauit, & Iulio, & sibimetipsi negotium non admodum desiderabile, fecit. atque tandem, cum filios non reliquerit, Regnum suum consanguineo dimisit.

Et ex his omnibus nullus vnquā fuit, qui summos pontifices ius ligandi, atque soluendi, non habere dixerit. Omnes autem aut mandatis paruerunt; aut quare non parerent, se excusantes, causas proposuerunt: Aut vt Gūtharius, Tietgaudus, Archie

chiepiſcopi, & Philippus Pulcher Rex, fecerunt: non poteſtatem Pōtificiam inficiati ſunt, ſed illam agnoſcentes, in perſonas Pontificum; ac ſi ij nempe legitimi non eſſent, aut quòd præcipitāter egerint; ſunt inuecti. Quemadmodum ſi qui contrarium quandoque fecerint, vt Ioannes Rauennas Archiepiſcopus, ij tandem, dimiſſa contumacia, ad pedes Pontificum recurrentes, veniam mereri humiliter, & enixè, procurarunt: vt ex his, quæ ſupra latè relata ſunt, perfacilè agnoſci poteſt.

VERVM, cum Conuenticuli patres Carnotenſes dicant, eiſdem ſe velle iuribus tutari, quibus prædeceſſores eorum Epiſcopi ſe in ſimilibus defenderunt; operæpretium erit videre, qui illi eorū prædeceſſores fuerint Epiſcopi, Quid ve hi egerint; & quæ iura illa ſint, quibus ſe defenderunt illi, & quibus iſti vti velle in Pontificem comminantur.

AT hæc, ni fallor, perquiſitio nec difficilis admodum, nec nimis alta, erit. Primi enim, qui in Pontifices Maximos allatrarent, allatraré ve minarentur, ij Epiſcopi extiterunt, qui in Ludouici Pij Imperatoris Comitatu tunc, cum Gregorius 4. Pontifex à Ludouici filiis vafrè aduocatus; quaſi ſolus Patri filios conciliare poſſet, ad Ludouicum ipſum in Franciam ſe contulit, morabantur. ij vtique Epiſcopi cum Adriani aduentū præſenſiſſent, timentes ne in Ludouicum veniret, aſſeruerunt, *ſe nullo modo velle eius volūtati ſuccumbere: ſed ſi excommunicaturus adueniret, excommunicatus abiret; cum aliter ſe habeat antiquorum auctoritas canonū.* Hæc illi; in quibus verbis nihil poteſt præter quā indiſcreta

1 *Supra fol. 106.*

vanitas agnosci: cum non exprimant à quo posset Gregorius excommunicari; Nec ex antiquorum Canonum aliquem incident, quo summus Pontifex excommunicationibus vti prohibeatur. Et ex facto inde sequuto clarè patet, quòd summus Pontifex Adrianus non solum excommunicandi ius, & potestatem habebat, sed etiam quod Decretum Synodi quo Ludouicus Imperio fuerat priuatus, antiquauit:[1] & ea de causa Archiepiscopum Lugdunensem sua sede eiecit.

1 Suprà fol. 108.

SEQVVTI sunt Thietgaudus, & Guntharius, Archiepiscopi, Treuerensis, & Coloniensis, qui à Nicolao summo Pontifice Archiepiscopalibus sedibus deiecti, in Pontificem ipsum inuecti, ei per literas, dixerunt: *Nicolao Pontifici Guntharius, atque Theutgaudus, Patres Episcopi, & fratres coepiscopi nostri ad te nos direxerunt, & nos sponte iuimus, consulere videlicet, expleta generali legatione, tuum magisterium, super his specialiter, quæ pariter, pro vt nobis visum fuit, &c. & notum esse potuit, iudicauimus, auctoritates, rationésque; quas sequuti fuimus, scriptis ostendentes, vt tua sapientia, perscrutatis omnibus, quid inde sentires, & quid velles, nobis paterno demonstrares affectu, nósque fraterna charitate procurares, &, si melius illud tua sanctitas inueniret, vt nos instrueres, & doceres, suppliciter obsecrauimus, parati, quicquid rectius & probabilius esset, libenter amplecti. Sed nos per tres hebdomadas tuum expectantes responsum, nihil certitudinis nihilq; doctrinæ nobis expressisti.* Et statim: *Ad vltimum autem nos auocati, ad tuam præsentiam deducti sumus, nihil aduersitatis suspicantes, ibiq; obseratis ostiis, facta more latrocinali conspiratione, ex Clericis*

Clericis & laïcis turba collecta & permixta, nos violenter inter tantos opprimere studuisti, longa scilicet intercapedine à nostris & Clericis, & laïcis separatos, atque sine Synodo, & sine canonico examine, nullo testificante, nullaq; disputationis discretione derimente, vel auctoritate ac probatione conuincente, absque nostri oris confessione, absentibus aliis Metropolitanis, & diocesaneis coepiscopis, & confratribus nostris, extra omniū omnino consensum, tuo solius arbitrio & tyrannico furore nosmet damnare voluisti, subito quadam tibi cartula, & improuise porrecta lectoris officium assumens, assistente lateri tuo Anastasio olim presbytero ambitus damnato, & deposito, & anathematizato, cuius scelerato magisterio tuus præcipitatur furor. Ergo tuam prauam sententiam, à zelo rectitudinis alienam, iniustā, & inrationabilem, canonicis legibus contrariam, nequaquam recipimus: imò cum omni cœtu fraterno, quasi nefas atque maledictū frustra prolatum contemnimus atque abiicimus, tibiq; anathematorum, & religionis sacræ abiectorum, & contemptorum fautori, & communicatori reuera communicare nolumus, contenti totius Ecclesiæ communione, & fraterna societate, quam tu arroganter te superexaltans despicis, teq; ab ea elationis tumore indignum faciens segregas. Igitur ex tua leuitatis temeritate propria tibimet sententia anathematis plagam inflixisti, exclamans: Qui Apostolica præcepta non seruat, anathema sit. *Quæ multipliciter violare & violasse dignosceris, diuinas leges simul, & sacros Canones calcans, &, quantum in te est, euacuans, prædecessorum tuorum Pontificum Romanorum vestigia sequi nolens. Nunc ergo qui fraudulentiam & calliditatem experti sumus, indignationem quoque tumidumq; potentatum agnoscimus, nihil*

tibi tuæq; superbiæ cedimus, qua nos ad vota nostrorum, quibus faues, inimicorum obruere festinabas; sciésque nos non tuos esse, vt te iactas & extollis, clericos, quos vt fratres & coepiscopos recognoscere, si elatio permitteret, debueras. Et hæc tibi nostri ordinis non inscij, nimium tuâ improbitate compulsi respondemus, non quasi ad illatam nobis contumeliam prouocati, sed contra tuam iniquitatem Ecclesiastico zelo accensi: nec nostræ vtilitatis personam attendentes, sed omnem nostri ordinis vniuersitatem, cui vim inferre conaris, præ oculis habentes.

1 Referẽte incerto Auctore, sub anno 863.

HAEC illi,[1] ex quibus si præcipitem iram, tumidámque insolentiam demas, nihil erit, quod ex illis colligi, etiã sollicita scrutatione, possis. Tracti enim ab irascentia, omni se modestia denudarunt: & furore perciti, ad maledicta in sanctum Domini proruperunt: atque pro omni ratione, se ad mendacia, & ineptias transtulerũt. Quæ ita esse vt clarè demonstrentur, Decreta Romani Concilij, sententiámque summi Pontificis Nicolai, hic inserere, permaximè erit opportunum: Si tamen prius Auctoris illa verba, quæ suprà detruncata retulimus,[2] hic integra reportemus.

2 Suprà fol. 111.

IN *Regno quoque Luthary, pro eo quòd dimissa vxore legitima alteram duxit, Synodus in Mettis cõgregata est omnium Episcoporum eius præter Hungarium Traiectensem, quẽ ægritudo detinuit. Aderant & missi Nicolai Romani Pontificis, ob eandem causam diligenter inuestigandam directi: In quo negotio ventilato, Rex factum suum propter quod arguebatur, consilio & auctoritate Episcoporum se fecisse testatus est. Quod illi non inficiantes, quasdam assertiones rationum verisimilium, quibus gestæ rei qualitatem munire nisi sunt, opposuerũt,*

exq;

eaſq́ literis comprehenſas, vt legati Apoſtolici ſuggeſſerunt, per Gũtharium Agrippinæ Coloniæ, & Theotgaudum Treuerenſem Galliæ Belgicæ Archiepiſcopos, Apoſtolicæ Sedis Pontifici probandas tranſmiſerunt. Qui conuocato Romanæ Sedis Epiſcoporum Concilio, & Mettenſem anathematizauit Synodum, & ad ſe miſſos Epiſcopos depoſuit, & communione priuauit.

SYNODALIA verò decreta, hæc ſunt, ſententiaque ſummi Pontificis.

NICOLAVS *ſeruus ſeruorum Dei, reuerendiſſimis & ſanctiſſimis fratribus noſtris Archiepiſcopis in regno Ludouuici Regis Germani conſtitutis. Scelus quod Lutharius Rex: ſi tamen Rex veraciter dici poſſit, qui nullo ſalubri regimine corporis appetitus refrenat, ſed lubrica eneruatione magis ipſius illicitis motibus cedit. † Teuberga ſcilicet & Vualdrada cõmiſit, omnibus manifeſtũ eſt. Sed & dudum Epiſcopos Theotgaudum & Guntharium in tali facto eum habuiſſe tutores, atque fautores, penè totus nobis orbis vndique ad limina, ſeu Sedem Apoſtolicam confluens referebat, abſentibus quoque id ſcribentibus noſtro Apoſtolatui. Quod nos tanto credere renuimus, quanto de Epiſcopis tale quid audire nullatenus ſperabamus, donec ipſi Romam tempore Concilij venientes, coram nobis & ſancta Synodo tales inuenti ſunt, quales fuerant à multis ſæpè prædicati: ita vt ſcriptura quam ſuis ſtipulauerant manibus, quamque valebant, vt noſtro roboraremus Chirographo, caperentur; & dum muſcipulam innocentibus opponere ſatagerent, inſidiis ſuis illaqueati ſunt ipſi: ſicq́ completum eſt, Deo auctore, quod in Prouerbiis legitur: Fruſtra iactatur ante oculos pennatorum, ſiquidem ipſi obligati ſunt, & ceciderunt. Nos verò qui in hoc flagitium falſò cecidiſſe dicebamur,*

fauente Domino cum iustitiæ propugnatoribus resurreximus, & erecti sumus. Igitur decernente nobiscũ sancta Synodo, in præsentia depositi, & ab officio Sacerdotali excommunicati, atque à regimine Episcopatus alienati indubitanter existunt. Vnde nostra fraternitas canonum normam custodiens, & Decretorum sanctiones obseruans cauet, ne hos quos nos abiecimus, recipere in Sacerdotum catalogo quis præsumat. Depositionis autem sententia quam in prædictos Thietgaudum & Guntharium protulimus, cùm cæteris capitulis, quæ sancto Concilio nobiscum sanciente promulgauimus, inferius annexa monstrabitur.

De Synodo in Mettensium vrbe à Thietgaudo & Gunthario Archiepiscopo congregata, penitus abolenda.

SYNODVM *quæ nuper, id est, sub piissimo Imperatore Ludouico per indictionem* XI. *mense Iunio, in Mettensium vrbe ab Episcopis, qui nostrum præuenerãt iudicium, collecta est, quiq; Apostolicæ Sedis instituta temere violauerunt, ex tunc, & nunc, & in æternum iudicamus esse cassatam, & cum Ephesino latrocinio reputatam Apostolica auctoritate in perpetuũ esse sancimus damnandam, nec vocari Synodum, sed tanquam adulteris fauentem, prostibulum appellari decernimus.*

Depositio Thietgaudi & Guntharij Archiepiscoporum.

THIEVT

THIEVTGAVDVM *Treuerensem primatem Belgicæ prouinciæ, & Guntharium Agrippinæ Coloniæ Episcopos, nunc coram nobis & sancta Synodo, sub gestorum insinuatione qualiter causam Lotharij Regis, & duarum mulierū eius Theutpergæ scilicet & Vualdrudæ se recognouerint, & indicauerint, scriptum super hoc propriis roboratum manibus offerenres, nihilq́ se plus vel minus, aut aliter egisse ore proprio multis coram positis affirmantes, & sententiam quam à Sede Apostolica, in Ingiltrudem vxorem Busonis sanctissimus frater noster Mediolanensis Archiepiscopus Tado, & cæteri coepiscopi nostri petierant emittendam, & nos diuino succensi zelo, sub anathematis obtestatione canonicè protuleramus, publicè viua voce se violasse confitentes, in quibus omnibus inuenimus eos Apostolicas atque Canonicas sanctiones in pluribus excessisse, & æquitatis normam nequiter temerasse, omni iudicamus Sacerdotij officio permanere penitus alienos, Spiritus sancti iudicio, & beati Petri per nos auctoritate omni Episcopatus exutos regimine consistere definientes. Quod si iuxta præcedentem consuetudinem, tanquam Episcopi ausi fuerint, aliquid de sacro ministerio contingere, nullo modo liceat eis, nec in alia Synodo, restitutionis spem, aut locum habere satisfactionis, sed communicantes eis omnes abijci de Ecclesia, & maximè si postea quàm didicerint aduersus memoratos prolatam fuisse sententiam, eisdem communicare tentauerint.*

De cæteris Episcopis.

CAETERI *autem Episcopi, qui complices horum Theutgaudi scilicet & Gunthari, vel sectatores esse fe-*

runtur, si cum his coniuncti seditionem, coniurationes, vel conspirationes fecerint, vel si à capite, id est, à Sede beati Petri, illis hærendo dissenserint, pari cum eis damnatione teneatur astricti. Quòd si cum Sede Apostolica, vnde eos principium Episcopatus sumpsisse manifestum est, sapere de cætero per semetipsos, vel missos ad nos Legatos cum scriptis suis professi extiterint, nouerint sibi à nobis veniam non negandam, nec amissionem honorum suorum pro retroactis præsumptionibus, aut subscriptionibus quas pro insanis fecerunt gestis, per nos vllo modo formidandam.

De sententiis antiquis interdictis Sedis Apostolicæ.

S I *quis dogmata, mandata, interdicta, sanctiones, vel decreta, pro Catholica fide, pro Ecclesiastica disciplina, pro correctione fidelium, pro emendatione sceleratorum, vel interdictione imminentium, vel futurorum malorum à Sedis Apostolicæ præsule salubriter promulgata contempserit, anathema sit.*

A T his ita ad plenum relatis, operæpretium est videre, An Guntharius & Theutgaudus iustè exclament, atque conquerantur: An verò damnatorum more, perciti ira, ac tumidi, in Iudicem, qui iustè illos condemnauit, à ratione deuij, dementésque temerè inuehantur.

I P S I itaque in primis dicunt, *se missos Romam iuisse, ibiq; post tres hebdomadas à Pontifice auocatos, cum nil tale expectarent, latrocinali more, clericorum, laicorumq; turba cinctos, obseratis ostiis; longa intercapedine à suis diuisos, fuisse oppressos:* Oppressionem autem

autem illam fuiſſe dicunt, quod *Pontifex arrepta quadam ſchedula, vſurpatoq; lectoris officio, habens penes ſe quendam Anaſtaſium, quem anathematizatum dicunt, depoſitionis, & excommunicationis ſententiam in ipſos tulit, ac perlegit.*

VERVM ex hoc querimoniarum principio, ſe viri iſti ſapientes ab ira dementatos eſſe penitus teſtantur. Quin? quod non ſolum extra mentem, ſed quod etiam extra communem ſenſum, innatus illorum tumor, & indignatio, ipſos præcipitauerint, hæc eorũ verba clarè nimis oſtendũt. Namq́; cũ ipſi Romę in ditione poteſtatéque Põtificis eſſent, & poſſet ſolo nutu Põtifex per executores Iuſtitię illos manicis ferreis arctari, & carceribus includi facere: quid opus erat, coniurationes facere, clericorumq́ue & laicorum turba illos, ex improuiſo cingere, & quaſi ex inſidiis, obſeratis oſtiis, opprimere? Præterea cum Pontifex in illos depoſitionis, & excommunicationis ſententiam, & in eorum faciem ferre voluiſſet: ſententiaque ipſa ab ipſo ſummo Põtifice, ſupremo Iudice, emanaret, ex illiúſque ſolo motu vires, & firmitatem haberet; quid eorum Metropolitanorum, coepiſcoporumq́ue, quorum abſentiã deplorant, præſentia ipſos iuuare valuiſſet, ipſi dicere minimè poſſent. Et cum fruſtra illud expetitur, cuius adeptio nec aliquid auxilij affert, nec ſpei aliquid explet: certè dum ipſi hæc decantant, irrefragabile teſtimonium dicunt, quod à vertiginoſis communis ſenſus phantaſmatibus in delirium tracti, à verò Iudicio erant tunc pœnitus alieni: Cùm & illis præſentibus, & illis abſentibus, iuſta ſemper eſſet,

& vali

& valida Pontificis ſententia: atque etiam ſi ita res geſta fuiſſet, vt ipſi actam eſſe mendaciter dicunt.

ADDVNT *ſe damnatos fuiſſe abſque canonico examine, nullo accuſante, abſque teſtibus, nulla habita diſcuſſione, nulla auctoritate, nulla probatione, illos conuincentibus.* Addunt, *& abſque ipſorum confeſſione, & extra omnium conſenſum, ſed tyrannico duntaxat furore ſummi Pontificis.*

HAEC vix poſſunt ad deliria trahi, cum ex profunda cordium ipſorum nequitia, ac prauitate ſcaturire apertè videantur: & dicendum eſt ideò, eos & dementes eodem tempore, & prauos extitiſſe; & in vtraque qualitate mendaciis innixos fuiſſe. Quādoquidem vt Pontifex ipſe dicit, & ſcriptum reliquere antiqui rerum ſcriptores, Guntharius, & Theutgaudus tutores, fautoréſque Lotharij Regis in ipſo adornādo inceſtuoſo crimine extitere. Et id orbis totus, ad Sedem Apoſtolicam confluens, ad Pontificis aures detulerit, & idem abſentes ſcripſerint: Nec defuerint Tietbergæ fratres, qui apud ipſum Pontificem, Lotharium, Lothariique fautores accuſauerint. Ipſimet verò Romam euntes, & in ſummi Pontificis præſentia, conceſſuque Concilij Epiſcoporum, ob id conuocati, ex ea ſcriptura, quam propriis ipſorum manibus ſignatam Pōtifici porrexerunt, conuicti fuere, atque ore proprio ſunt confeſſi. Qua de re, quid aliud in conuictos, & confeſſos à Pontifice fieri potuit, quàm, ne eorum impunitas alios ad enormia ſimilia perpetranda inuitaret, ac traheret, illos ex Synodi ſententia priuare dignitatibus, atque

atque anathemate innodare? Et falsò igitur, & calumniose ipsi *eam sentētiam à rectitudine alienam, iniustam, irrationabilem, canonicisque legibus contrariam*, diffamarunt: cum iustè, sanctè, & iuxta Canonicas sanctiones, Summus Pontifex, amotione ab sedium Archiepiscopalium, inflicta excommunicatione, de assensu Synodi, illos conuictos, & enorme id facinus confessos, quod Ecclesiam turbauerat, & Regnum, puniuerit: qui innoxiam Reginam vafrè circumuenerant, atque in gratiam impuri Regis, eius fauoribus, & turpibus promissis corrupti, in innocentem, vi legi illata, per sordes, iudicauerant.

NEC tamen desunt ipsi dicere, quod sententiam non recipiunt, quod cum omni cœtu fratrum illam contemnunt, & abiiciunt: Quòd nolūt Pontifici communicare, quia anathematizatorum est fautor: Quòd contenti sunt Ecclesiæ communione, & fraterna societate, à qua Pontifex tumore se separat: violans Apostolica præcepta; diuinas leges, & Canones calcans: Non sequens vestigia præcessorum.

HAEC non dicerent boni isti patres, si saltem sensum liberum haberent: scissent vtique quod sententia reorum consensum non requirit, sed illos ligat etiam inuitos, & renitentes, etiam si illam contemnere, & abiicere, nitantur: Quódve ex solo sententiæ contemptu, & ipsi damnantur, & eorum fratres, si vnà cum ipsis, huiusmodi contemptus sint socij, & participes. Iusta enim vel iniusta excommunicationis sententia, vt suprà diximus, est timenda. Dicunt, nolle se communicare pontifici,

pontifici, sed videre debuissent, quòd & si valdè voluissent, pontifici communicare minimè potuissent: Cùm ipsi excommunicati essent extra Ecclesiam, cuius summus pontifex est vnicum caput. At dicunt, se contentos esse communione totius Ecclesiæ, & societate fraterna. Sed delirant: non enim communicare possunt toti Ecclesiæ, si Ecclesiæ capiti communicare recusant: Ecclesia námque sine capite esse non potest. Verum forsan ipsi de alia Ecclesia dicunt, quàm de Catholica: quod asserere videntur, dum dicunt, se contentos esse societate fraterna, à qua pontifex tumore se separat, cùm hęc Ecclesia non nisi schismatica esse possit, & hi fratres schismatici: cum vnica dũtaxat sit Ecclesia Catholica: & eius caput summus pontifex, qui non à schismaticis se separat, sed ab illo se separant schismatici: non enim caput à membris, sed membra se separant à capite, vt est etiam superius[1] dictum.

[1] *fol.53.*

PERGVNT dicere, ideò se nolle communicare summo pontifici, quia fautor est anathematizatorum: quia multipliciter violat Apostolica præcepta; calcat diuinas leges, & Canones; quia non sequitur vestigia prædicessorũ: & quia ad vota inimicorum obruere ipsos festinabat.

VERVM, quia hæc tanta ex bilis redundantia, qua eorum vrebantur pręcordia, delirantiũ more, non mente, sed sono, indeterminata sparserunt: non enim quæ præcepta Apostolica violauerat pontifex, quas calcauerat leges, expresserunt: sed vt corda exonerarent, flatum & sonum sine mente emiserunt; parcendum est illorum furori: & his omissis,

omissis, ad resipiscentiam eorum est deueniēdum. Sedata enim ira, Thietgaudus nunquam amplius in sacris Episcopalibus mysteriis se immiscuit: & Guntharius, qui prohibitionem violeuerat, semel atque iterum, ad veniam impetrādam, licet incassum semper, Romam se contulit; cùm nec etiam Ludouici Imperatoris fauore veniam consequi potuerit. Inquit enim Auctor incertus.[1] 1 Sub anno 864.

GVNTHARIVS *Coloniæ ciuitatis Episcopus, pœnitentia ductus, quòd contra dominum Apostolicum iniustæ rationis contentionem inchoauerat, reconciliationis suæ, & emendationis gratia Romam profectus, in præsentiam Apostolici viri Nicolai venit: sed veniam minimè consecutus est.* Et rursus, *Guntharius Comes ciuitatis Episcopus, pœnitentia ductus, quòd ministerium Sacerdotale ab Apostolico sibi interdictum contingere præsumpserat, Romam profectus est: sed restitutionis, vel satisfactionis locum minimè inuenit.*

ET nihilominus, his non obstantibus, non defuit qui, hisce diebus, ex eo facto, Pontificem, iniustitiæ, arrogantiæ, temeritatis, tyrannidis sugillare, & pro Gunthario, & Thietgaudo, factum, & facti circumstantias, ita inuertere, atque copuoluere, & adornare, vt de illorum innocentia præsumeratur, sit sollicitè nixus. Vignerius vtique more suo, de re ipsa, sic dicit:[2] 2 Sub anno 864.

LE *Roy Lothaire interpellé de respondre au Pape de la repudiation de sa femme, feit aller par l'aduis des Euesques de son Royaume, les Archeuesques Gunthier, & Thietgaud à Rome, pour rendre raison de leur fait au Pape. Lequel sans les vouloir quasi voir ny ouyr, print seulement le libelle auquel estoyent exposees les raisons* des

des actes des Conciles de Mets & d'Aix. Et sans autre forme de procez, les declara excommuniez & degradez de tous ordres Ecclesiastiques, auec tous ceux qui auoyēt donné approbation & consentement à la repudiation de la Royne Thietberge. A cause dequoy, comme ils se complaignoyent enuers l'Empereur, & les hommes, de l'iniustice & tyrannie, dont on vsoit enuers eux, les traictant si ignominieusement contre les regles Canoniques, sans auoir esté ouys, examinez, ny conuaincus, sans l'auctorité de l'Empereur, & consentement des autres Metropolitains. Le Pape aussi feit sçauoir aux Euesques de Frāce, & d'Allemaigne, qu'il auoit tout fait iustement, vsant de la puissance qui luy estoit donnee de Iesus Christ, duquel il exerçoit le Vicariat en terre. Qui feit que les autres publierent vne Apologie fort aigre & aspre contre luy, pour leur iustification, laquelle les Annalistes de ce temps, Regino *& Auentin liure 4. ont inseree en leurs histoires. Où apres l'auoir depeint, selon leur affection, pour vn arrogant, iniuste, & presomptueux tyran, qui sous l'habit d'vn Pasteur se fait paroistre loup rauissant, & comme vn larrō s'attribuë à luy seul toutes les graces, que Dieu a eslargies à toute son Eglise, & en ce disant seruiteur des seruiteurs, s'efforce de dominer tous les dominants: Concluent finalement qu'ils ne font cas de ses censures, interdictions, & excommunications, non plus que luy-mesme n'obtempere aux Edicts de Iesus Christ, en troublant la concorde & la paix des Eglises. Mais qu'il s'esgalloit à la diuinité, quand il se vantoit de ne pouuoir, & n'auoir iamais erré. Cela neantmoins n'amenda nullement leur cause, tant estoit le monde mal edifié du faict du Roy Lothaire.*

In testes vocat, illorum temporum Annales, Regi

Reginonem, & Auentinum, in quorum ſcriptis Gunthariȷ, & Thietgaudi Apologiam illam contineri dicit, quam ipſe exaggeratis maledictis, ampliare deſudat. Et quia Regino illam non habet; & incertus Auctor Annalium veterum leniorem illã refert, quàm vellet, ipſe recurrit ad Auẽtinum, qui nudius tertius ſcripſit, & non admodum ipſo placabilior eſt Apoſtolicæ Sedi: & ab ipſo adiutus, multa, quę Guntharius, & Thietgaudus, dicere aut obliti erant, aut erubuerãt dicere, Ipſe dicit. Addit enim Pontificis tyrannidem; quòd ſine Imperatoris Auctoritate, & abſque aliorum Metropolitanorum aſſenſu illos damnauerit: Quòd in Paſtoris habitu, gerit rapacem lupum: Quòd latronis ad inſtar, gratias omnes, quas Eccleſiæ ſuæ eſt Deus elargitus, ad ſolum ſe rapit: Quòd licet ſe ſeruum ſeruorum dicat, dominantibus nihilominus omnibus imperare ſatagit: Quòd ſe æqualẽ diuinitati facit, dum dicit ſe nunquã erraſſe, nec errare poſſe: Quòd Chriſti edicta infringit, dum Eccleſiarum concordiam turbat, & pacem. Hæc ille, vt ex ſuis dictis ſuprà relatis clarè videtur: de quibus in Apo logia relata ab Auctore veterum Annalium, qui illorum temporum eſt ſcriptor, ne verbũ quidem. Et ſi ideò Vignerius, & Auentinus, auctores non dant, vnde illa habeant, ego non Guntharium, & Thietgaudum, ſed huiuſce ampliatæ Apologiæ ipſos Auctores habere non recuſabo. Non enim talis eſt, quæ præter ſanctam illorum intentionem in ſummos Pontifices, & Sedem Apoſtolicam contineat aliquid, quod Thietgaudi, & Gunthariȷ facinus leuius reddere poſſit.

EXCLAMANS adauget Pontificis tyrannidẽ, neque id facere omisisset, cum quoties maledicere vult, quod nunquam se offerente occasione non facit, huius communis loci nequaquam obliuiscatur.

AT cum Christus Iesus Pastori sui gregis ligandi, atque soluendi, summam dederit potestatẽ, vt est latè suprà dictum [1], summus Pontifex Nicolaus, qui Pastor summus gregis Christi, illiúsque in terris Vicarius erat, pro ligandis, castigandísq; ouibus, nec Imperatoris, qui vna duntaxat ex ouibus erat; nec aliquorum Metropolitanorum, qui non nisi ab ipso deriuatam potestatem habebant, assensum requirere, aut expectare debebat: & in hoc ideò satis insulsè Vignerius cum auctoribus suis se habet. Nec, cum omnem potestatem Ecclesiæ, quam in Petro à Christo habuit, ipse administrat, & explicat, vt latro se habet, sed vt Christi in terris Vicarius in illius exercitio se gerit. Dum enim Vignerius omnes gratias dicit, credo illum aut omnem potestatem dicere velle, aut in materia de qua agitur, dicere nihil. Et licet Pontifex seruũ seruorũ Dei se dicat; & talis sit dum gregis commoda curat, pascit, & conseruat; per hoc Dominantium Dominus esse non desinit: dum etiam summos Principes, qui nobiliores sunt gregis Dominici oues, errantes corrigit, & delinquentes punit, atque à grege, ne illum corrumpat, impœnitentes abigit: & dum ideò omnium est seruus, & dum est Dominantium Dominus, vnusmet ille semper est, & est semper Vicarius Christi, quod apud probos Catholicos Auctores videre potuisset, si

1 fol. 45. & seq.

set, si id Vignerius qui tantos perlegit, videre voluisset: & non magis credere Auentino, quam illis censuisset. Nunquam Pontifex, aut se non errasse dixit, aut non posse errare. Et eapropter (ignoro an dolosè) errat Vignerius, dum asserit ea Pontificem dixisse. Et nihilominus, si in his quæ fidei sunt, se errare non posse Nicolaus Pontifex asseruisset, non nisi verum dixisset: cum eius fides, pro qua, ne deficeret, Christus orauit, deficere nunquam posset: non enim prætereunt verba Christi. & hæc dicens non se diuinitati æqualem fecisset Nicolaus, sed gratiæ ei à Christo impertitæ se immemorem non esse professus fuisset. Sed mirabilis est Vignerius, dum dicit Pontificem concordiam Ecclesiarum turbare, & pacem, Christi in hoc præcepta non seruando.

Pontifex à pseudoministris Ecclesiam expurgans, & ab administratione rerum sacrarum illos deiiciens, qui iniustitiam & sordes in ipsam Ecclesiam inuexerant, vt ad Ecclesiasticam puritatem, & sanctitatem redactam, in Christi pace, & concordia illam stabiliret: Si Vignerio credimus, qui hoc dicit, & non erubescit: Ecclesiarum pacem turbat, & concordiam. Quod & Iudex facit, dum in eos animaduertendo, quietem latronum interrumpit. Cætera, quæ addit maledicta duntaxat sunt, & negligenda, cum ex maledico corde prodire, clarè nimis videantur. At cum Vignerius, vt fidem faciat, Apologiam illam, quam ipse ex Auentino habuit, & per se, ipse formauit, Thietgaudi, & Gunthatij Apologiam esse, dicat, & minus verè, illam contineri in scriptis Antiqui

Auctoris,& Reginonis;cum antiquus Auctor,qui illam ponit , nisi alium ipse promat, longè ab ea, quam ipse recitat,illam referat;& illam nõ habeat Regino; certè non Guntharij, & Thietgaudi, sed Auentini potius , & suam Apologiam esse haberi debet.

VERVM cum in nullo aut antiquo,aut moderno Auctore hoc Thietgaudi,& Guntharij factum clarius, ac specialius haberi possit, quàm à Reginone; non possum nõ mirari,quòd Vignerius, qui factorum seriem , & statum, ad verum referre debet,cùm se historiographum profiteatur, id,quod Regino non dicit, dixisse refert: & de his, quæ in hoc facto , tam latè Regino dicit, ipse ne verbum quidem in sua Bibliotheca faciat: sed mirari non deberem, quia id, quod ille dicit,& ipse tacet,pro summis Pontificibus,nõ contra illos,facit. Quod vt verum esse videatur, ego bona fide Reginonis dicta exscribam , & illi contestem Sigilbertum Gemblacensem scriptorem antiquum dabo : & quia est breuior ab ipso initium faciam. Dicit itaque Sigilbertus:[1] *Guntharius & Thietgaudus Archiepiscopi, Roma à Papa Nicolao pro adulterio Lotharij Regis examinati, cùm ex suis Synodalibus gestis, quæ præferebant, & suorum ore etiam conuicti fuissent, Episcopatu, & sacris gradibus exordinati, anathematizati sunt: eisq; tamen laïcalis communio concessa est.*

1 *sub anno 863.*

ET Regino,[2] *Lotharius Rex cœpit occasionem quærere, qualiter Thietbergam Reginam à suo consortio separare potuisset, quam exosam habebat propter Vualdradam,&c. Guntharium itaque Coloniensis Vrbis Pontificem, qui eo tempore erat Archicappellanus, Rex primo per.*

2 *sub anno 864.*

per superintroductos missos, deinde per semetipsum super huiusmodi dissidio omni arte aggreditur; & vt facilius assensum praeberet, promisit se eiusdem Episcopi neptem in matrimonium accepturum, tantum vt praedictam Thietbergam eius, aliorumq́; Episcoporum auctoritate, & licentia repudiare, quacumque ratione posset. Qui vt erat leuis animo, & inconsideratus actione, protinus omni intentione introducitur, vana spe, vt postea claruit, seductus. Rursus idem Guntharius Thietgaudum Archiepiscopum Treuerensem, hac de causa alloquitur, sciens esse virum simplicem, nec adeò in diuinis Scripturis eruditum, Canonicísque sanctionibus exercitatū. Ex vtriusque testamenti paginis quasdam sententias profert, quas aliter quam Ecclesiastica regula docet, edisserens virum improuidum secum in foueam trahit: Caecus caeco ducatum praestans. Quid plura? facta sunt omnia, quae huic cōmento videbantur esse necessaria. Concilium Mettis conuocant, Reginam quasi canonicè euocatam in medio statuunt. Testes producunt vnà cum scriptis, qui valdè grauia crimina imponebant. inter alia protestati sunt quòd eadem Thietberga confessa fuisset, semetipsam fratris germani incestuoso cōcubitu esse pollutam. Continuo statuta patrum de incestuosis recitantur, & non solum à legitimo viro separatur, verumetiam omnis copula maritalis inhibetur, poenitentia iuxta modum culpae indicitur, & tali nefaria machinatione diu exoptata, voluntas Regis adimpletur. Et inferius, *Gunthary Episcopi neptis ad Regem accersitur, ac semel, vt aiunt, ab eo constupratur, atque cum cachinno, & omnium derisione ad auunculum remittitur. Igitur agentibus fratribus Thietbergae Reginae, haec omnia ad notitiam Nicolai Papae deferuntur.* Et inferius, cùm dixisset,

quod Pontifex ea de causa legatos in Galliam miserit, quódve legati Romam rediſſent, ſubdit: *Interea Thietgaudus & Guntharius Archiepiſcopi Romam profecti ſunt, ea animi intentione, & vt Regem innoxium in ſupradicto facto demonſtrarent, & ſe cum cæteris coepiſcopis Eccleſiaſtica atque Apoſtolica exercuiſſe decreta. Stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere poſſe arbitrati ſunt, quæ nec ſe fefellit, nec ab aliqua hæreſi vnquam falli potuit. Itaque cum in præſentiam Nicolai Papæ veniſſent, libellum obtulerunt, in quo continebantur geſta Synodalia, quæ in Mediomatrico Vrbe, & Aquis, ab eis ſtatuta fuerant. Qui cum à Notario coram omnibus recitatus eſſet, interrogauit Pontifex ſi hæc ſcripta verbis confirmarent? Reſponderunt inconueniens videri, vt quod propriis manibus roborauerant, verbis infirmare mallent, &c.* Et ſtatim: *Paucis interpoſitis diebus, ad Synodum, quam Papa congregauerat ſunt accerſiti, vbi eorum damnata, & anathematizata ſunt ſcripta, & ipſi, omnibus adiudicantibus Epiſcopis, Presbyteris, & Diaconis ſunt depoſiti, & omni Eccleſiaſtica dignitate priuati.* Ij Ludouicum Imperatorem adierunt, Pontificem blaſphemiis lacerantes, & aſſerentes, *ipſi Imperatori, & omni ſanctæ Eccleſiæ iniuriā eſſe factam; cum nunquā auditum ſit, vel vſpiam lectum, quod vllus Metropolitanus ſine conſcientia Principis, vel præſentia aliorum Metropolitanorum fuerit degradatus, &c. exiſtimantes eiuſdem ſe Imperatoris adminiculo ſimul, & interceſſionis ope, & criminis obiecti abolere notam, & priſtinæ dignitatis recuperare ſtatum: ſed ſpes eorū fruſtrata eſt, quamuis Imperator omnibus votis illis opitulari voluiſſet. Thietgaudus depoſitionis ſuæ à*

Sede

Sede Apostolica prolatam sententiam patienter ferens, iuxta præcedẽtem consuetudinem, nihil omnino de sacro ministerio contingere præsumpsit. Guntherius verò superbiæ spiritu inflatus, vetitum officium vsurpare ausu temerario nõ expauit, paruipendens Apostolicam excommunicationem, &c. Et dum iterum ac tertio Sedẽ Apostolicam reparationis, & restitutionis gratia adiissent, nouissimè in Italia infirmitate prauenti, peregrini, & exules moriuntur, communione laicali sibi tantum concessa.

QVANDOQVIDEM Conuenticuli Patres Carnotenses, cum interdictiones, & excommunicationes Gregorij XIIII. nullas, & iniustas esse dixissent, idque ex antiquitate Scripturæ sanctæ, Decretorum, Conciliorúmque, & exemplorum sanctorum Patrum agnouisse, addiderunt: *Necnon ex iuribus & libertatibus Gallicanæ Ecclesiæ, quibus se defenderunt Episcopi prædecessores nostri, contra* (pareilles ENTREPRISES) *similes ausus.* Et cum de aliis latè satis esset dictum, vt videremus, qui fuissent ij eorum præcessores, qui se contra similes ausus defendissent, & quibus iuribus; id quod superest videre; vniuersum pœnè Franciæ historiæ cursum percurrimus: & nunquam nisi ter, aut ad summum quinquies, quod Galliarum Episcopi ab indubitatis Pontificibus dissederint, inuenire sciuimus. Semel nempè à Gregorio IIII. Episcopi illi, qui cum Ludouico Pio Imperatore, contra illius filios, stabant. Iterum, cum Nicolaus Magnus Guntharium, & Thietgaudum, deposuisset. Rursus, ab Adriano 2. illi, qui vnà cum Hincmaro cõmunicare Carolo Caluo, nisi Lotharij Regnum Ludouico Imperatori Lotharij fratri restituisset,

prohibiti fuere. Quarto,& quinto ij,qui Philippo Pulchro, & Ludouico 12.adſtitere,dum illi à Bonifacio 8. & Iulio 2. diſciuiſſent.

II Epiſcopi,qui cum Ludouico Pio erant,non admodum exorbitarunt: verentes enim Gregorium ad excommunicandum Ludouicum venire, licet id verũ non eſſet, dixerunt duntaxat ſe nolle illi conſentire:& quod ſi excommunicaturus Gregorius veniret,excommunicatus abiret. Vana verba,& non multifacienda, cùm magis ad ſubleuandum Ludouicum, quàm ex animi prauitate dicta fuiſſe,videri poſſint. Nam ſi Gregorius Ludouicũ voluiſſet excommunicare, conſenſu illorum nequaquam indiguiſſet: & ideò videntur ipſi dicere, quod non conſentiendo Gregorio Pontifici in excommunicatione, Ludouici innocentiam illi rationibus demonſtraſſent: & quòd ſi poſtea Pontifex ad excommunicationem proceſſiſſet,abiiſſet excommunicatus: non quia aliquis illum excommunicaſſet, cum Pontifex ſuperiorem in terris non habeat, qui eum excommunicare poſſit: ſed quia ante Deum de excommunicatione in Ludouicum iniuſtè prolata reus remanſiſſet.

QVI cum Hincmaro, Caluo Regi communicare, ſi occupatum Lotharij Regnum Ludouico Imperatori non reſtituiſſet, prohibiti fuere: Si quæ de ſuo Vignerius admiſcet, omittantur, vix

1 *fol.112.* ſupereſt quod ſit addendum his, quæ ſuo loco [1] ſuprà latè ſunt dicta. Conquerebantur vtique de Adriano ſecundo ſummo Pótifice, dicentes velle ea Adrianum mandare, ac facere, quæ nunquam alias à prædeceſſoribus ſuis ſummis Pontificibus, aut

aut mandata, aut facta, in Francia fuerant. Sed aliquid non esse factum non obstat, quin data occasione, fieri ab eo possit, qui id faciendi potestatem habet: nihílque præterea aliud dicebant, quo dignitatem potestatémque Pontificiam lędere quoquo modo possent: & de his satis.

PHILIPPVS Pulcher, & Ludouicus 12. iique, qui cum eis fuerunt Episcopi, non Pontificiam dignitatem, ac potestatem, sed Bonifacij VIII. Iuliique 2. personas impugnarunt: & non est ideò, cur super his, hic immorari debeamus: suprà enim est satis[1] dictum. *1 fol. 162. & seq.*

SVPEREST, vt an Guntharius, Thietgaudus, & ij Episcopi, qui illis adhæserunt, illi fuerint prędecessores Episcopi, qui illis iuribus vsi fuere, contra summos Pontifices, quibus Carnotensis Conuenticuli Patres, contra Gregorium XIIII. illiúsque monitionis literas vti tacitè minantur, aut potius vtuntur. Et proculdubio illi ipsi sunt. Dicunt enim illi Nicolai sententiam prauam, iniustam, inrationabilem. Isti dicunt interdictiones & excommubicationes, iniustas, & nullas, tam in forma, quàm in materia. Dicunt illi sententiam latam absque canonico examine, nulla discussione, nullo accusante, nullo testificante, nulla confessione, ante habitis. Isti dicunt, Pontificem male instructum de Statu Regni, & suarum actionum monitionis literas emisisse. Illi dicunt, ad vota inimicorum Pontificē se ipsos obruere festinasse. Isti dicunt, instigationibus, & artificiis inimicorum status Franciæ, à Pontifice persuaso literas illas emanasse. Dicunt illi, se sententiam non re-

cipere, cum omni cœtu fratrum illam contemnere, atque abiicere. Isti nō solum monitionis literas non recipiunt; sed pseudodecreto facto, mandant aliis omnibus, vt illas non recipiant, illisque non obediant: & vt illas penitus contemnāt, prædictas Gregorij XIIII. monitiones, interdictiones, suspensiones, & excommunicationes, in illis contentas, nec se, nec alios Francos, qui sub eorum Regis obedientia degunt, ligare, aut obligare posse, proposito edicto declarant, ac statuunt. Dicunt illi, Nicolaum Pontificem multipliciter violare Apostolica præcepta; calcare diuinas leges, & Canones, non sequi vestigia prædecessorum. Isti dicunt, se agnouisse Adriani literas esse nullas, & iniustas, ex antiquitate Scripturæ sanctæ, sanctorum Decretorum, Conciliorum generalium, Constitutionum canonicarum, & exemplorum sanctorum Patrum, & addunt: *Necnon & iuribus, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ:* Sic diuidentes ab Ecclesia Catholica Ecclesiam Gallicanam, & quantum in se est, declarantes illam schismaticam, vt se per omnia conformes reddant prædecessoribus illis suis Gunthario, & Thietgaudo, qui dicunt nolle se communicare Nicolao Pontifici, sed contentos esse communione Ecclesiæ, & fraterna societate.

DEMVM, illi hæc omnia, per suas literas, Nicolao Pontifici dixerunt.

ISTI non dicunt, sed sibiipsis reseruant dicendum: vt quandoque rationibus, quas non habent, nec vnquam habebunt, Gregorium ipsum Pontificem, Alexandri Pontificis ad instar, vt ipsi vafrè

dicunt,

dicunt, ad palinodiam adigant.

At cum hucvsque conuenticuli isti patres Carnotenses prædecessores illos suos Episcopos sint imitati, si saperent, & in finem vsque illos etiam imitarentur: & vt illi semel, & iterum ad pedes Pontificis Nicolai, petentes veniam se contulerunt, vt est suprà dictum [1], sic ipsi, noxam fatentes, *1 fol. 175.* petentésque veniam ad pedes Gregorij pontificis *& 177.* se conferrent: & placabiliorem forsan illum inuenirent, quàm illi Nicolaum inuenerint. Verum id se facturos esse vltima eorum verba nō planè promittunt. Prætendunt enim executionis Bullæ impossibilitatem illam, quam ipsi ex sola non parēdi voluntate inducunt: & cum ex obedientia illius, innumerabilia inconuenientia in præiudicium & ruinam Religionis, quam suam dicunt, etiam prætendant: aliæ Religioni, quam Catholicæ timere, satis clarè præ se ferunt: cum summus Pontifex Gregorius non ad Catholicæ Religionis præiudicium, & ruinam, monitionis literas, sed ad illius restaurationem, conseruationem, & robur, dederit: & eas exequi moneat, atque iubeat. At quales in his sanctissimi Galliarum Antiqui Præsules se gesserint videamus.

Avctor ad Aymoinum de Synodo apud Pontigonem Apostolica auctoritate, & sanctione Calui indicta, ait [2]: *Post Kyrie eleison, & data ora-* *1 lib. 5. c.* *tione à Ioanne Tuscanensi Episcopo, resedit Dominus* *33.* *Imperator in Synodo, & legit Ioannes Tuscanensis Episcopus Epistolas à Domino Apostolico missas: cum quibus & legit Epistolam de Primatu Ansegisi Senensis, Episcopi vt quoties vtilitas Ecclesiastica dictauerit, siue*

in euo

in euocanda Synodo, siue in aliis negotiis exercendis, per Gallias, & Germanias, Apostolica vice fruatur; & Decreta Sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficiantur; & rursus quæ gesta fuerint eius relatione, si necesse fuerit, Apostolicæ Sedi pandantur: & maiora negotia ac difficiliora quæq;, suggestione ipsius à Sede Apostolica disponenda, & enucleanda quærantur. Petentibus autem Episcopis, vt eis permitteretur ipsam legere Epistolam, quibus erat directa, non acquieuit Imperator: sed responsum quæsiuit ab eis, quid de his iussis Apostolicis responderent. Quorum responsio talis fuit: Vt seruato singulis Metropolitanis iure priuilegij secundum Canones, & iuxta Decreta Sedis Romanæ Pontificum, ex eis sacris Canonibus promulgata, Domini Ioannis Papæ Apostolicis iussionibus obedirent. Nec magis præcisè tunc respondere voluerunt. Alia verò die: *Et lecta est à Ioanne Tuscanensi iterum Epistola, iubēte Imperatore, pro primatu Ansegisi: & quæsita est ab Episcopis denuò inde responsio. Et respondentibus singulis Archiepiscopis, quòd veluti sui antecessores illius antecessoribus regulariter obedierunt, ita eis Decretis vellent obedire. Tunc facilius est illorum admissa responsio, quàm fuerat in Imperatoris præsentia.* Et rursus die alia: *Iterum motum est interrogatio de primatu Ansegisi: & post multas ab Imperatore, & Legatis Apostolicis contra Episcopos querimonias habitas, tantum in nouissimo, quam in principio Synodi, exinde Ansegisus obtinuit.*

RVRSVS referens Synodum Romæ habitam à Papa Ioanne, inquit:[1] *Cuius exemplar idem Adalgarius pro munere magno Imperatori detulit. Summa verò eiusdem Synodi, post multas & multiplices laudes Impera*

1 *Eod. lib. 5. c. 35.*

Imperatoris, hæc eſt : Vt electio & promotio ad Imperialia ſceptra, anno præterito Romæ celebrata, ex tunc, & nunc, & in perpetuum firma, & ſtabilis maneat. Quam ſi quis perturbare, aut violare tentauerit, cuiuſcumque ſit ordinis, dignitatis, aut profeſſionis, anathemate vſque ad ſatisfactionem teneatur omni tempore obnoxius Patratores & incitatores huius Concilij, ſi quidem clerici fuerint, deponantur: laici verò, & monachi, perpetuò anathemate feriantur.

ET cum Ioannes Papa Lambertum & Adalbertum Comites, qui terras Eccleſiæ & Villas deprædabantur, excommunicaſſet, indéque in Franciam ſe contuliſſet; Synodúmque Epiſcoporum Galliarum, & Belgicarum Prouinciarum Trecas conuocaſſet, & excommunicationem præfatorum, & complicum illorum, à Synodo confirmari petiiſſet, Synodus tale dedit illi reſponſum; vt idem Auctor refert.[1] *1 lib.5. cap.37.*

DOMINE *ſanctiſſime ac reuerendiſſime Pater patrũ, Ioannes Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ (ſanctæ videlicet Romanæ primæ Sedis) Papa, nos filij, famuli, ac diſcipuli veſtræ auctoritatis Galliarum & Belgicarũ Epiſcopi, his quæ ſuper vulnera dolorum veſtrorum maligni homines, ac miniſtri diaboli addentes in ſanctam matrem noſtram, ac magiſtram omnium Eccleſiarum commiſerunt, compatimur, & dolori veſtro conſentes condolemus, atque iudicium veſtræ auctoritatis (quòd priuilegio B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ, in eos & complices eorum iuxta ſacros Canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, ac ſecundũ eiuſdem ſanctæ Romanæ Sedis Pontificum prædeceſſorum veſtrorum decreta protuliſtis) voto, voce, & vnanimitate*

noſtra,

nostra, atque auctoritate sancti Spiritus (cuius gratia in Episcopali ordine sumus consecrati) gladio Spiritus sancti, quod est verbū Dei, eos interimentes persequimur: Scilicet quos, sicut prædiximus, excommunicastis excommunicatos tenemus, quos ab Ecclesia abiecistis, abijcimus; quos anathematizastis, anathematizatos esse iudicamus: & quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas, & Apostolica Sedes receperit, recipiemus. Et statim: *Nos in nostris quoque Ecclesiis lugenda lugemus: & ideo vestra auctoritate nobis subueniri, cum omni mentis humilitate deposcimus, petentes vt promulgetis capitulum vestræ auctoritatis, qualiter nos erga Ecclesiarum nostrarum persuasores agere debeamus: vt censura Apostolicæ sedis muniti, robustiores ac promptiores, Domino opem ferente, contra peruersos Ecclesiasticarum rerum, ac facultatū raptores, ac vastatores, sacriq; ministerij Episcopalis cōtemptores, nos successoresq; persistere concordi sententia valeamus: vt iuxta egregij prædicatoris vocem, & vestræ auctoritatis promulgationem, traditi Sathanæ spiritu, salui fiant in die Domini nostri Iesu Christi: quod diploma Ioannes Papa sua excommunicationia scribi fecit: & sua manu confirmans, ab omnibus Episcopis in Synodo subscribi fecit.*

LVPVS Monasterij apud Ferrariam Senonum Abbas refert,[r] quatuor Metropolitanos, cū quamplurimis Episcopis, Nomenoio Britonum Duci Regi Caluo Rebelli, sic scripsisse.

r Epistola 84.

LANDRANVS *Turonum Metropolitanus Episcopus, Dodo Andegauorum Aldricus Cenomanorum Episcopus, Guenilo Senonum Metropol. Episcopus. Heriboldus Antissiodori Episcopus, Prudentius Tricassinorum, Agius Aurelianorum, Ercanradus Parisiorum,*

Hucber

Hucberius Meldorum, Helias Carnutum, Herimannus Niuernorum, Hincmarus Rhemorum Metropolitanus Episcopus, Immo Nouiomagi, Pardulus Lauduni, Rhothadus Sueßionum, Gilmeradus Ambianorum, Erpoinus Siluanecci, Ermenfridus Bellouacorum, Paulus Rothomagi Metropolitanus Episcopus, Saxoboldus Saiorum Episcopus, Freculfus Lexouiorum, Kalfridus Baiocensium, Nomenoio Priori gentis Britannicæ salutem, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Et post relata innumera mala per illum perpetrata. *Satis hæc ad tuam perditionem sufficiebant, sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem, & omnem læsisti Christianitatem, dum Vicarium beati Petri Leonem Apostolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, spreuisti. Cùm enim eum postulasses, vt in libro suo scriberet, & pro te Dei clementiam exoraret: & ille directis literis se id facturum promisisset, si se monente obedienter audires: non solum nihil eorum, quæ mandauerat fecisti, sed ne literas quidē ipsius recepisti: & quia nolebas à malo desinere, timuisti bene monentem audire. In eo igitur læsisti Apostolos, quorum est Princeps Petrus.* Et inferius: *Maximum reatum te contraxisse scimus, quòd Epistolam Sedis Apostolicæ respuisti.*

IDEM Lupus summo Pontifici scribens, ait[1]: *Domino præcellentissimo, & omnibus Christianis vnice singulariterq́; venerando, vniuersali Papæ Benedicto, vltimus Abbatū Lupus, ex Monasterio Galliæ, quod vocatur Bethlehem siue Ferrariæ præsentem prosperitatem, & futuram beatitudinem.* Et infrà: *Fratres præterea & compresbyteros nostros Adulphū & Acaciam, qui spontaneam peregrinationē pro nomine Domini susceperunt, & quamquam laboriosissimè ad memoriā beatissimorum*

1 Epist.

Aposto

Apostolorum, caterorumq; sanctorum tandem aliquando peruenerunt, specialiter vestra mansuetudini commendamus, vt eos pietate competenti fouere dignemini, & consuetudinibus Ecclesiasticis, qua varie in diuersis locis tenentur, diligenter instruere, vt per eos ad nos, & ad cateros quosque talia pie quarentes, institutio Romana perueniat, siquidem in quibuscũque ad religionẽ & honestatem pertinentibus ambiguitatem creat varietas, vt optima quæque eniteãt, illuc sollicita inuestigatione credimus recurrẽdum; vnde vbique fidei manauit exordiũ.

HINCMARVS Rhemorum Archiepiscopus, vt in illius vita Floardus, aut Flodoardus, in historia Ecclesiæ Metropolitanæ Rhemensis, non dum Latinè impressa, sed à Nicolao Chesneo reddita Gallicè, & impressa, summo Põtifici Nicolao, de causa Rothadij scribens, dicit : [1] *Ia n'aduienne que*
1 cap. 11. *nous tenions si peu de compte du priuilege, & preeminence de l'Euesque du Siege premier, & souuerain de la saincte Eglise Romaine, &c. Que si d'auenture il suruenoit quelque chose touchant les Euesques, la decision de laquelle ne se trouuast expressément remarquee és sacrez Canons, & partãt tel fait nouueau ne peut estre determiné au Synode prouincial, ou cõprouincial, faudroit en ce cas auoir recours au diuin oracle, c'est à dire, au siege Apostolique. Semblablement si és cas de plus grande importance l'Euesque prouincial s'est soubmis aux iugemens des Iuges deleguez, & a esté condamné en certain point, c'est à dire, deposé de son degré, au Synode comprouincial, s'il pense auoir bonne cause, & s'il en appelle au Pontife de l'Eglise Romaine, desirant d'estre ouy par deuant luy ; & d'ailleurs aussi s'il estime que ce soit chose iuste & raisonnable de faire reuoir son procez; faudra*

apres

apres la sentence de l'Euesque, que ceux qui ont examiné sa cause, en escriuent au mesme Pontife souuerain, & que suyuant ce qu'il en ordõnera, le procez soit reuen, & soit fait examen nouueau, iouxte le septiesme chapitre du Concile de Sardis. Car quant aux faicts du Metropolitain canoniquement institué, & qui selon la Coustume ancienne reçoit du Siege Apostolique le Pallium, il en faut premierement & auant aucun iugement attẽdre la sentence du Pontife du Siege Apostolique, ainsi que Leon l'escrit en son Epistre ad Anastasium, & mesmement le Concile de Nicee le veut, comme aussi plusieurs autres Papes le declarẽt en leurs Decrets, qu'ils ont fondez sur les sacrez Canons. Et certes c'est le Pontife Romain, qui suyuant le dire du Prophete Ezechiel, fait sa demeurance en la Tresorerie, laquelle regarde vers le Midy, & veille en sentinelle pour la garde du Tẽple. Et quant à nous autres Metropolitains, nous sommes au regard de luy, les Ministres seruans à l'autel, qui est deuãt la face du Temple, sur lequel les chairs des sacrifices sont bruslees: & qui (non sans peine) pacifions és Synodes prouinciaux les debats & differents des charnels: en rẽuoyant le iugement des causes plus importãtes, à l'Euesque du premier & souuerain Siege.

RVRSVS de eodem Rothadio, quem absolui verebatur, summo Pontifici dicit: [1] *Combien que s'il se pouuoit faire (mais on a tout autre estimé de ce premier & sainct Siege, & de vostre Apostolat) que ledit Rhothade cogneu de vous pour tel qu'il est, fut par vous restitué en son ministere, noz consciences demeureroyent calmes desormais pour le regard du dãger des ames que luy auriez cõmises. Et puis qu'en ces quartiers tous sçauent combien il a negligé les saincts Canons, combien de*

[1] In eod. cap. 11.

N

temps, & comme patiemment & benignement il a esté toleré, & comme par force, & non du gré de ceux qui l'ont iugé, il a esté condamné, nous ne pourrions encourir blasme ne honte de sa restitution, d'autãt que par la puissance de vostre souuerain Pontificat il seroit restitué. Car nous tous ieusnes & vieux sçauons tresbien, que nos Eglises sont subiectes à l'Eglise Romaine : & que nous autres Euesques en & par la primauté de sainct Pierre, sommes subiects à l'Euesque de Rome. Parquoy (sauue la foy, qui a tousiours fleury, & Dieu aydant fleurira en ceste Eglise) faut que nous obeyssons à vostre authorité Apostolique. Et statim: *Ainsi a-il fondé son Eglise sur le fondement de la pierre Apostolique. Laquelle (Eglise) & auant sa passion, & apres sa resurrection, par vne sollicitude speciale, & singulier priuilege il a commise à sainct Pierre, & en luy, à ses Vicaires. Et quiconque honore le Siege de sainct Pierre, & l'Euesque successeur au mesme Siege, il honore celuy qui a dict : Ie glorifieray ceux là qui me font honneur. Et, Ceux qui ne tiennent conte de moy, seront auilis, & sans honneur.* Et statim: *C'est bien raison que tout Euesque qui aura receu commandement du Pontife Romain, s'achemine vers le Siege Apostolique, & ne manque d'obeyssance: moyennant qu'infirmité, ou quelque autre vrgente necessité, ou impossibilité (qui sont exceptions cottees par les Canons) ne l'en empeschent.*

VLTERIVS de eodem loquens, & eidem, inquit: [1] *Ce que ie remonstre, non pas que ie vueille en aucune chose preiudicier (ià n'aduiẽne) à l'authorité du S. Siege Apostolique, ny à vostre sainct Apostolat, car, cõme il est raisonnable, ie suis prest d'obeyr en toutes choses. Mais ie le dy, parce q̃ i'estime faire seruice aggreable à vostre*

1 In eod. cap.

à vostre souueraine authorité, quand humblement ie remonstre à la sagesse de vostre maistrise, ce que ie sens, ou pour l'approuuer, ou pour le corriger. Et inferius: *Et s'il plait à vostre puissance de le restituer, sans aucune satisfaction preallable d'vn si long mespris, & contemnement des saincts Canons, & des Decrets du Siege Apostolique, & du priuilege de sa Metropolitaine, & des iugemẽs Synodaux, ausquels il ne s'est voulu, ne veut soubmettre, & sans declaration ou soubscription de son emendation & obeyssance, ie le porteray patiemment; comme c'est bien raison d'endurer le iugement canonique de l'Euesque de la premiere chaire, mere & maistresse de toutes les Eglises: de l'Euesque (dy-ie) pere & maistre de tous Euesques.*

PRAETEREA, & eidem, & de eodem, ait[r]: *Ie pense que me pourray garder, que vostre Saincteté ne sera par aucun prouoquee à l'encontre de moy, à fin que ie ne tombe en quelque excommunication.* Et inferius: *Toutesfois ie prendray peine tãt qu'il me sera possible, & autant que celuy, de qui vient toute bonne donation, & tout don parfait, m'en fera la grace, que le dernier iour qui m'est incogneu, & peut soudainement arriuer, ne me trouue aucunement (ia n'aduienne) retranché de la communion du Siege Apostolique.* *r In eod. cap.*

AT Fulbertum Carnutum Episcopum audiamus, ad Ioannem 19. Pontificem sic scribentem. *Epist. 2.*

DOMINO *sancto & vniuersali Papæ Ioanni, Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus orationum fidelia. Gratias omnipotenti Deo, qui more benignitatis suæ tuam pater humilitatem respexit, & summo (vt decebat) dignitatis apice sublimauit. Proinde totus mundus ad te conuertit oculos, téque vnum omnes beatissimum prædi-*

cant, contemplantur altitudinem tuam sancti viri, & gaudent quod eis similitudinem omnium virtutum alludis. Respiciunt persecutores Ecclesiæ districtionis tuæ baculum formidantes. Suspiciunt iÿ qui flagellantur ab impiÿs, & respirant sperantes adhuc restare sibi consolationis remedium. De quorũ numero sum ego, magnæ & præclaræ Ecclesiæ pusillus Episcopus, qui tibi pater de angustiis meis querimoniam scribens auxilium tuæ pietatis imploro. Est enim quidã Comes malefactor nomine Rodulphus, nimium vicinus nobis, qui res Ecclesiæ nostræ per iniustam occasionem inuasit, vnum de clericis nostris suis manibus interfecit, duos alios captos sacramentis illigauit. Et de his omnib⁹ appellatus in Curia Regis, & coram plena Ecclesia sæpe vocatus, non propter hominem, nec propter Deum ad iustitiam venire dignatus, à nobis tandem excommunicatus est. Nunc verò ad limina sancti Petri contendit, tãquam ibi possit accipere de peccatis absolutionem, vnde venire non vult ad emẽdationẽ. Vnde rogamus te dilectissime pater, cui totius Ecclesiæ cura commissa est, vt eum de sanguine atque iniuria filiorum tuorum ita arguere & castigare memineris, sicut meritum esse tua prouidentia nouit. Nec tua sanctitas iniustè in communionem recipiat, quẽ diuina auctoritas sicut Ethnicum alienat. Vnde bone Pastor, euigila super nos, ne per incuriam tuam grex Domini detrimentum sustineat.

1 Epist. 18. ET in alia Epistola, ' Coepiscopo suo Guidoni, cui, quia Episcopum nullis Ecclesiasticis ordinibus signatũ, à populo nihilominus & Clero Ciuitatis electum, ordinauerat, dicit. *Magni etenim viri, vt optimè nosti, Ambrosius Mediolanensis, & Germanus Antisiodorensis, aliÿq; nonnulli, quia tales in laico ha*

co habitu extiterũt, subitò nobis sancti Præsules exierũt. Dominus verò Papa, cuius animaduersionem te revereri significasti, non est quòd tibi meritò debeat succensere, si te grauiter collapsæ sanctæ Remensi Ecclesiæ aliquam spem resurrectionis audierit prouidisse.

ET in alia,[1] *Turonensium Archipræsuli*, ait. *Respondemus itaque vobis, quia si pallium requisistis à Romano Pontifice, & ipse vobis illud sine causa legitima denegauit, propter hoc non est opus dimittere ministeriũ vestrum: vt si vestra tarditate nondum est requisitum, cautela expectare donec requiratur, ne vos ex improuiso præsumptionis arguere possit. Continentur enim quædam reuerẽda nobis in priuilegijs Romanæ Ecclesiæ, quæ, propter negligentiam nostram non facilè inueniũtur in armariis nostris. Valete.* 1 Epist. 30.

RVRSVS in altera,[2] Fratri Theodorico dat rationes quare ipsum nõ ordinaret, dicẽs inter alias. *Hæc tamen causa datis induciis corrigi potuisset. Altera fuit, quod sub ipso deliberatæ ordinationis articulo propter crimen homicidij, quod audierat, missum à Domino Papa vidimus interdictum. Quod si ille non mitteret, esset tamen obseruanda sententia Apostoli dicẽtis, oportere non solum Episcopũ, sed Presbyterum quoque, & diaconum sine crimine esse.* 2 Epist. 45.

ET in alia,[3] Excellentissimo Regi Roberto, dicit. *Cùm enim te prudenter agere accipio, lætor: sin autem, tristor & timeo. Audito igitur inter alia quòd proxima solemnitate Natalis Domini Concilium habiturus sis cum Principibus Regni de pace componẽda, gaudeo. Sed audito quòd Aureliana ciuitas videlicet incendio vastata, sacrilegijs prfoanata, & insuper excõmunicatione damnata, nec post reconciliata, miror & paueo.* 3 Epist. 77.

quod Pontifex ea de causa legatos in Galliam miserit, quódve legati Romam rediissent, subdit: *Interea Thietgaudus & Guntharius Archiepiscopi Romam profecti sunt, ea animi intentione, & vt Regem innoxium in supradicto facto demonstrarent, & se cum cæteris coepiscopis Ecclesiastica atque Apostolica exercuisse decreta. Stultitiæ quidem elogio denotandi, qui illam Petri Sedem aliquo prauo dogmate fallere posse arbitrati sunt, quæ nec se fefellit, nec ab aliqua hæresi vnquam falli potuit. Itaque cum in præsentiam Nicolai Papæ venissent, libellum obtulerunt, in quo continebantur gesta Synodalia, quæ in Mediomatrico Vrbe, & Aquis, ab eis statuta fuerant. Qui cum à Notario coram omnibus recitatus esset, interrogauit Pontifex si hæc scripta verbis confirmarent? Responderunt inconueniens videri, vt quod propriis manibus roborauerant, verbis infirmare mallent, &c.* Et statim: *Paucis interpositis diebus, ad Synodum, quam Papa congregauerat sunt accersiti, vbi eorum damnata, & anathematizata sunt scripta, & ipsi, omnibus adiudicantibus Episcopis, Presbyteris, & Diaconis sunt depositi, & omni Ecclesiastica dignitate priuati.* Ij Ludouicum Imperatorem adierunt, Pontificem blasphemiis lacerantes, & asserentes, *ipsi Imperatori, & omni sanctæ Ecclesiæ iniuriã esse factam; cum nunquã auditum sit, vel vspiam lectum, quod vllus Metropolitanus sine conscientia Principis, vel præsentia aliorum Metropolitanorum fuerit degradatus, &c. existimantes eiusdem se Imperatoris adminiculo simul, & intercessionis ope, & criminis obiecti abolere notam, & pristinæ dignitatis recuperare statum: sed spes eorũ frustrata est, quamuis Imperator omnibus votis illis opitulari voluisset. Thietgaudus depositionis suæ à*

Sede Apostolica prolatam sententiam patienter ferens, iuxta præcedētem consuetudinem, nihil omnino de sacro ministerio contingere præsumpsit. Guntherius verò superbiæ spiritu inflatus, vetitum officium vsurpare ausu temerario nō expauit, paruipendens Apostolicam excommunicationem, &c. Et dum iterum ac tertio Sedē Apostolicam reparationis, & restitutionis gratia adiissent, nouissimè in Italia infirmitate prauenti, peregrini, & exules moriuntur, communione laicali sibi tantum concessa.

QVANDOQVIDEM Conuenticuli Patres Carnotenses, cum interdictiones, & excommunicationes Gregorij XIIII. nullas, & iniustas esse dixissent, idque ex antiquitate Scripturæ sanctæ, Decretorum, Conciliorúmque, & exemplorum sanctorum Patrum agnouisse, addiderunt: *Necnon ex iuribus & libertatibus Gallicanæ Ecclesiæ, quibus se defenderunt Episcopi prædecessores nostri, contra* (pareilles ENTREPRISES) *similes ausus.* Et cum de aliis latè satis esset dictum, vt videremus, qui fuissent ij eorum præcessores, qui se contra similes ausus defendissent, & quibus iuribus; id quod superest videre; vniuersum pœnè Franciæ historiæ cursum percurrimus: & nunquam nisi ter, aut ad summum quinquies, quod Galliarum Episcopi ab indubitatis Pontificibus dissederint, inuenire sciuimus. Semel nempè à Gregorio IIII. Episcopi illi, qui cum Ludouico Pio Imperatore, contra illius filios, stabant. Iterum, cum Nicolaus Magnus Guntharium, & Thietgaudum, deposuisset. Rursus, ab Adriano 2. illi, qui vnà cum Hincmaro cōmunicare Carolo Caluo, nisi Lotharij Regnum Ludouico Imperatori Lotharij fratri restituisset,

prohibiti fuere. Quarto, & quinto ij, qui Philippo Pulchro, & Ludouico 12. adſtitere, dum illi à Bonifacio 8. & Iulio 2. diſciuiſſent.

II Epiſcopi, qui cum Ludouico Pio erant, non admodum exorbitarunt: verentes enim Gregorium ad excommunicandum Ludouicum venire, licet id verũ non eſſet, dixerunt duntaxat ſe nolle illi conſentire: & quod ſi excommunicaturus Gregorius veniret, excommunicatus abiret. Vana verba, & non multifacienda, cùm magis ad ſubleuandum Ludouicum, quàm ex animi prauitate dicta fuiſſe, videri poſſint. Nam ſi Gregorius Ludouicũ voluiſſet excommunicare, conſenſu illorum nequaquam indiguiſſet: & ideò videntur ipſi dicere, quod non conſentiendo Gregorio Pontifici in excommunicatione, Ludouici innocentiam illi rationibus demonſtraſſent: & quòd ſi poſtea Pontifex ad excommunicationem proceſſiſſet, abiiſſet excommunicatus: non quia aliquis illum excommunicaſſet, cum Pontifex ſuperiorem in terris non habeat, qui eum excommunicare poſſit: ſed quia ante Deum de excommunicatione in Ludouicum iniuſtè prolata reus remanſiſſet.

QVI cum Hincmaro, Caluo Regi communicare, ſi occupatum Lotharij Regnum Ludouico Imperatori non reſtituiſſet, prohibiti fuere: Si quæ de ſuo Vignerius admiſcet, omittantur, vix ſupereſt quod ſit addendum his, quæ ſuo loco [1] ſuprà latè ſunt dicta. Conquerebantur vtique de Adriano ſecundo ſummo Põtifice, dicentes velle ea Adrianum mandare, ac facere, quæ nunquam alias à prædeceſſoribus ſuis ſummis Pontificibus, aut

[1] fol. 112.

aut mandata, aut facta, in Francia fuerant. Sed aliquid non esse factum non obstat, quin data occasione, fieri ab eo possit, qui id faciendi potestatem habet: nihílque præterea aliud dicebant, quo dignitatem potestatémque Pontificiam lędere quoquo modo possent: & de his satis.

PHILIPPVS Pulcher, & Ludouicus 12. iique, qui cum eis fuerunt Episcopi, non Pontificiam dignitatem, ac potestatem, sed Bonifacij VIII. Iuliique 2. personas impugnarunt: & non est ideò, cur super his, hic immorari debeamus: suprà enim est satis [1] dictum. [1] fol. 162. & seq.

SVPEREST, vt an Guntharius, Thietgaudus, & ij Episcopi, qui illis adhæserunt, illi fuerint prędecessores Episcopi, qui illis iuribus vsi fuere, contra summos Pontifices, quibus Carnotensis Conuenticuli Patres, contra Gregorium XIIII. illiúsque monitionis literas vti tacitè minantur, aut potius vtuntur. Et proculdubio illi ipsi sunt. Dicunt enim illi Nicolai sententiam prauam, iniustam, inrationabilem. Isti dicunt interdictiones & excommubicationes, iniustas, & nullas, tam in forma, quàm in materia. Dicunt illi sententiam latam absque canonico examine, nulla discussione, nullo accusante, nullo testificante, nulla confessione, ante habitis. Isti dicunt, Pontificem male instructum de Statu Regni, & suarum actionum monitionis literas emisisse. Illi dicunt, ad vota inimicorum Pontificē se ipsos obruere festinasse. Isti dicunt, instigationibus, & artificiis inimicorum status Franciæ, à Pontifice persuaso literas illas emanasse. Dicunt illi, se sententiam non re-

cipere, cum omni cœtu fratrum illam contemnere, atque abiicere. Isti nõ solum monitionis literas non recipiunt; sed pseudodecreto facto, mandant aliis omnibus, vt illas non recipiant, illisque non obediant: & vt illas penitus contemnãt, prædictas Gregorij XIIII. monitiones, interdictiones, suspensiones, & excommunicationes, in illis contentas, nec se, nec alios Francos, qui sub eorum Regis obedientia degunt, ligare, aut obligare posse, proposito edicto declarant, ac statuunt. Dicunt illi, Nicolaum Pontificem multipliciter violare Apostolica præcepta; calcare diuinas leges, & Canones, non sequi vestigia prædecessorum. Isti dicunt, se agnouisse Adriani literas esse nullas, & iniustas, ex antiquitate Scripturæ sanctæ, sanctorum Decretorum, Conciliorum generalium, Constitutionum canonicarum, & exemplorum sanctorum Patrum, & addunt: *Necnon & iuribus, & libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ:* Sic diuidentes ab Ecclesia Catholica Ecclesiam Gallicanam, & quantum in se est, declarantes illam schismaticam, vt se per omnia conformes reddant prædecessoribus illis suis Gunthario, & Thietgaudo, qui dicunt nolle se communicare Nicolao Pontifici, sed contentos esse communione Ecclesiæ, & fraterna societate.

DEMVM, illi hæc omnia, per suas literas, Nicolao Pontifici dixerunt.

ISTI non dicunt, sed sibiipsis reseruant dicendum: vt quandoque rationibus, quas non habent, nec vnquam habebunt, Gregorium ipsum Pontificem, Alexandri Pontificis ad instar, vt ipsi vafrè

dicunt,

dicunt,ad palinodiam adigant.

At cum hucvſque conuenticuli iſti patres Carnotenſes prædeceſſores illos ſuos Epiſcopos ſint imitati, ſi ſaperent, & in finem vſque illos etiam imitarentur: & vt illi ſemel, & iterum ad pedes Pontificis Nicolai, petentes veniam ſe contulerunt,vt eſt ſuprà dictum[1], ſic ipſi,noxam fatentes, petentéſque veniam ad pedes Gregorij pontificis ſe conferrent: & placabiliorem forſan illum inuenirent,quàm illi Nicolaum inuenerint. Verum id ſe facturos eſſe vltima eorum verba nō planè promittunt. Prætendunt enim executionis Bullæ impoſſibilitatem illam, quam ipſi ex ſola non parēdi voluntate inducunt: & cum ex obedientia illius, innumerabilia inconuenientia in præiudicium & ruinam Religionis, quam ſuam dicunt, etiam prætendant: aliæ Religioni, quam Catholicæ timere, ſatis clarè præ ſe ferunt: cum ſummus Pontifex Gregorius non ad Catholicæ Religionis præiudicium, & ruinam, monitionis literas, ſed ad illius reſtaurationem, conſeruationem, & robur, dederit: & eas exequi moneat, atque iubeat. At quales in his ſanctiſſimi Galliarum Antiqui Præſules ſe geſſerint videamus.

1 *fol.*175. & 177.

Avctor ad Aymoinum de Synodo apud Pontigonem Apoſtolica auctoritate,& ſanctione Calui indicta, ait[2]: *Poſt Kyrie eleiſon, & data oratione à Ioanne Tuſcanenſi Epiſcopo, reſedit Dominus Imperator in Synodo,& legit Ioannes Tuſcanenſis Epiſcopus Epiſtolas à Domino Apoſtolico miſſas: cum quibus & legit Epiſtolam de Primatu Anſegiſi Senenſis, Epiſcopi,vt quoties vtilitas Eccleſiaſtica dictauerit,ſiue*

1 *lib.* 5. *c.* 33.

in cuo

in euocanda Synodo, siue in aliis negotiis exercendis, per Gallias, & Germanias, Apostolica vice fruatur; & Decreta Sedis Apostolicæ per ipsum Episcopis manifesta efficiantur; & rursus quæ gesta fuerint eius relatione, si necesse fuerit, Apostolicæ Sedi pandantur: & maiora negotia ac difficiliora quæque, suggestione ipsius à Sede Apostolica disponenda, & enucleanda quærantur. Petentibus autem Episcopis, vt eis permitteretur ipsam legere Epistolam, quibus erat directa, non acquieuit Imperator: sed responsum quæsiuit ab eis, quid de his iussis Apostolicis responderent. Quorum responsio talis fuit: Vt seruato singulis Metropolitanis iure priuilegij secundum Canones, & iuxta Decreta Sedis Romanæ Pontificum, ex eis sacris Canonibus promulgata, Domini Ioannis Papæ Apostolicis iussionibus obedirent. Nec magis præcisè tunc respondere voluerunt. Alia verò die: *Et lecta est à Ioanne Tuscanensi iterum Epistola, iubēte Imperatore, pro primatu Ansegisi: & quæsita est ab Episcopis denuò inde responsio. Et respondentibus singulis Archiepiscopis, quòd veluti sui antecessores illius antecessoribus regulariter obedierunt, ita eis Decretis vellent obedire. Tunc facilius est illorum admissa responsio, quàm fuerat in Imperatoris præsentia.* Et rursus die alia: *Iterum motum est interrogatio de primatu Ansegisi: & post multas ab Imperatore, & Legatis Apostolicis contra Episcopos querimonias habitas, tantum in nouissimo, quam in principio Synodi, exinde Ansegisus obtinuit.*

RVRSVS referens Synodum Romæ habitam à Papa Ioanne, inquit:[1] *Cuius exemplar idem Adalgarius pro munere magno Imperatori detulit. Summa verò eiusdem Synodi, post multas & multiplices laudes Impera*

1 *Eod. lib. 5. c. 35.*

Imperatoris, hæc eſt: Vt electio & promotio ad Imperialia ſceptra, anno præterito Romæ celebrata, ex tunc, & nunc, & in perpetuum firma, & ſtabilis maneat. Quam ſi quis perturbare, aut violare tentauerit, cuiuſcumque ſit ordinis, dignitatis, aut profeſſionis, anathemate vſque ad ſatisfactionem teneatur omni tempore obnoxius Patratores & incitatores huius Concilij, ſi quidem clerici fuerint, deponantur: laïci verò, & monachi, perpetuò anathemate feriantur.

Et cum Ioannes Papa Lambertum & Adalbertum Comites, qui terras Eccleſiæ & Villas deprædabantur, excommunicaſſet, indéque in Franciam ſe contuliſſet; Synodúmque Epiſcoporum Galliarum, & Belgicarum prouinciarum Trecas conuocaſſet, & excommunicationem præfatorum, & complicum illorum, à Synodo confirmari petiiſſet, Synodus tale dedit illi reſponſum; vt idem Auctor refert.[1]

[1] lib. 5. cap. 37.

Domine *ſanctiſſime ac reuerendiſſime Pater patrũ, Ioannes Catholicæ atque Apoſtolicæ Eccleſiæ (ſanctæ videlicet Romanæ primæ Sedis) Papa, nos filij, famuli, ac diſcipuli veſtræ auctoritatis Galliarum & Belgicarũ Epiſcopi, his quæ ſuper vulnera dolorum veſtrorum maligni homines, ac miniſtri diaboli addentes in ſanctam matrem noſtram, ac magiſtram omnium Eccleſiarum commiſerunt, compatimur, & dolori veſtro conſentes condolemus, atque iudicium veſtræ auctoritatis (quòd priuilegio B. Petri, & Sedis Apoſtolicæ, in eos & complices eorum iuxta ſacros Canones ſpiritu Dei conditos, & totius mundi reuerentia conſecratos, ac ſecundũ eiuſdem ſanctæ Romanæ Sedis Pontificum prædeceſſorum veſtrorum decreta protuliſtis) voto, voce, & vnanimitate noſtra,*

nostra, atque auctoritate sancti Spiritus (cuius gratia in Episcopali ordine sumus consecrati) gladio Spiritus sancti, quod est verbũ Dei, eos interimentes persequimur: Scilicet quos, sicut prædiximus, excommunicastis excommunicatos tenemus, quos ab Ecclesia abiecistis, abycimus; quos anathematizastis, anathematizatos esse iudicamus: & quos regulariter satisfacientes vestra auctoritas, & Apostolica Sedes receperit, recipiemus. Et statim: *Nos in nostris quoque Ecclesiis lugenda lugemus: & ideò vestra auctoritate nobis subueniri, cum omni mentis humilitate deposcimus, petentes vt promulgetis capitulum vestræ auctoritatis, qualiter nos erga Ecclesiarum nostrarum persuasores agere debeamus: vt censura Apostolicæ sedis muniti, robustiores ac promptiores, Domino opem ferente, contra peruersos Ecclesiasticarum rerum, ac facultatũ raptores, ac vastatores, sacriq; ministery Episcopalis cõtemptores, nos successoresq; persistere concordi sententia valeamus: vt iuxta egregy prædicatoris vocem, & vestræ auctoritatis promulgationem, traditi Sathanæ spiritu, salui fiant in die Domini nostri Iesu Christi: quod diploma Ioannes Papa sua excommunicationia scribi fecit: & sua manu confirmans, ab omnibus Episcopis in Synodo subscribi fecit.*

LVPVS Monasterij apud Ferrariam Senonum Abbas refert,[1] quatuor Metropolitanos, cũ quamplurimis Episcopis, Nomenoio Britonum Duci Regi Caluo Rebelli, sic scripsisse.

[1] Epistola 84.

LANDRANVS *Turonum Metropolitanus Episcopus, Dodo Andegauorum Aldricus Cenomanorum Episcopus, Guenilo Senonum Metropol. Episcopus. Heriboldus Antissiodori Episcopus, Prudentius Tricassinorum, Agius Aurelianorum, Ercanradus Parisiorum,*

Hucber

Hucberius Meldorum, Helias Carnutum, Herimannus Niuernorum, Hincmarus Rhemorum Metropolitanus Episcopus, Immo Nouiomagi, Pardulus Lauduni, Rhothadus Sueßionum, Gilmeradus Ambianorum, Erpoinus Siluanecci, Ermenfridus Bellouacorum, Paulus Rothomagi Metropolitanus Episcopus, Saxoboldus Saiorum Episcopus, Freculfus Lexouiorum, Valfridus Baiocensium, Nomenoio Priori gentis Britannicæ salutem, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. Et post relata innumera mala per illum perpetrata. *Satis hæc ad tuam perditionem sufficiebant; sed ad cumulum malorum auxisti temeritatem, & omnem læsisti Christianitatem, dum Vicarium beati Petri Leonem Apostolicum, cui dedit Deus primatum in omni orbe terrarum, spreuisti. Cùm enim eum postulasses, vt in libro suo scriberet, & pro te Dei clementiam exoraret: & ille directis literis se id facturum promisisset, si se monentẽ obedienter audires: non solum nihil eorum, quæ mandauerat fecisti, sed ne literas quidẽ ipsas recepisti: & quia nolebas à malo desinere, timuisti bene monentem audire. In eo igitur læsisti Apostolos, quorum est Princeps Petrus.* Et inferiùs: *Maximum reatum te contraxisse scimus, quòd Epistolam Sedis Apostolicæ respuisti.*

IDEM Lupus summo Pontifici scribens, ait [1]: *Domino præcellentissimo, & omnibus Christianis vnice singulariterq́; venerando, vniuersali Papæ Benedicto, vltimus Abbatũ Lupus, ex Monasterio Galliæ, quod vocatur Bethlehem siue Ferrariæ præsentem prosperitatem, & futuram beatitudinem.* Et infrà: *Fratres præterea & compresbyteros nostros Adulphũ & Acaciam, qui spontaneam peregrinationẽ pro nomine Domini susceperunt, & quamquam laboriosissimè ad memoriã beatissimorum*

1 *Epist.*

Aposto

apres la sentence de l'Euesque, que ceux qui ont examiné sa cause, en escriuent au mesme Pontife souuerain, & que suyuant ce qu'il en ordõnera, le procez soit reuen, & soit fait examen nouueau, iouxte le septiesme chapitre du Concile de Sardis. Car quant aux faicts du Metropolitain canoniquement institué, & qui selon la Coustume ancienne reçoit du Siege Apostolique le Pallium, il en faut premierement & auant aucun iugement attẽdre la sentence du Pontife du Siege Apostolique, ainsi que Leon l'escrit en son Epistre ad Anastasium, & mesmement le Concile de Nicee le veut, comme aussi plusieurs autres Papes le declarẽt en leurs Decrets, qu'ils ont fondez sur les sacrez Canons. Et certes c'est le Pontife Romain, qui suyuant le dire du Prophete Ezechiel, fait sa demeurance en la Tresorerie, laquelle regarde vers le Midy, & veille en sentinelle pour la garde du Tẽple. Et quant à nous autres Metropolitains, nous sommes au regard de luy, les Ministres seruans à l'autel, qui est deuãt la face du Temple, sur lequel les chairs des sacrifices sont brusle es: & qui (non sans peine) pacifions és Synodes prouinciaux les debats & differents des charnels: en rẽuoyant le iugement des causes plus importãtes, à l'Euesque du premier & souuerain Siege.

RVRSVS de eodem Rothadio, quem absolui verebatur, summo Pontifici dicit: [1] *Combien que s'il se pouuoit faire (mais on a tout autre estimé de ce premier & sainct Siege, & de vostre Apostolat) que ledit Rhothade cogneu de vous pour tel qu'il est, fut par vous restitué en son ministere, noz consciences demeureroyent calmes desormais pour le regard du dãger des ames que luy auriez cõmises. Et puis qu'en ces quartiers tous sçauent combien il a negligé les saincts Canons, combien de*

[1] *In eod. cap. 11.*

temps, & comme patiemment & benignement il a esté toleré, & comme par force, & non du gré de ceux qui l'ont iugé, il a esté condamné, nous ne pourrions encourir blasme ne honte de sa restitution, d'autãt que par la puissance de vostre souuerain Pontificat il seroit restitué. Car nous tous ieusnes & vieux sçauons tresbien, que nos Eglises sont subiectes à l'Eglise Romaine : & que nous autres Euesques en & par la primauté de sainct Pierre, sommes subiects à l'Euesque de Rome. Parquoy (sauue la foy, qui a tousiours fleury, & Dieu aydant fleurira en ceste Eglise) faut que nous obeyssons à vostre authorité Apostolique. Et statim: *Ainsi a-il fondé son Eglise sur le fondement de la pierre Apostolique. Laquelle (Eglise) & auant sa passion, & apres sa resurrection, par vne sollicitude speciale, & singulier priuilege il a commise à sainct Pierre, & en luy, à ses Vicaires. Et quiconque honore le Siege de sainct Pierre, & l'Euesque successeur au mesme Siege, il honore celuy qui a dict: Ie glorifieray ceux là qui me font honneur. Et, Ceux qui ne tiennent conte de moy, seront auilis, & sans honneur.* Et statim: *C'est bien raison que tout Euesque qui aura receu commandement du Pontife Romain, s'achemine vers le Siege Apostolique, & ne manque d'obeyssance: moyennant qu'infirmité, ou quelque autre vrgente necessité, ou impossibilité (qui sont exceptions cottees par les Canons) ne l'en empeschent.*

VLTERIVS de eodem loquens, & eidem, inquit: [1] *Ce que ie remonstre, non pas que ie vueille en aucune chose preiudicier (ià n'adviẽne) à l'authorité du S. Siege Apostolique, ny à vostre sainct Apostolat, car, cõme il est raisonnable, ie suis prest d'obeyr en toutes choses. Mais ie le dy, parce q̃ i'estime faire seruice aggreable à vostre*

[1] *In eod. cap.*

à vostre souueraine authorité, quand humblement ie remonstre à la sagesse de vostre maistrise, ce que ie sens, ou pour l'approuuer, ou pour le corriger. Et inferius: *Et s'il plait à vostre puissance de le restituer, sans aucune satisfaction preallable d'vn si long mespris, & contemnement des saincts Canons, & des Decrets du Siege Apostolique, & du priuilege de sa Metropolitaine, & des iugemẽs Synodaux, ausquels il ne s'est voulu, ne veut soubmettre, & sans declaration ou soubscription de son emendation & obeyssance, ie le porteray patiemment; comme c'est bien raison d'endurer le iugement canonique de l'Euesque de la premiere chaire, mere & maistresse de toutes les Eglises: de l'Euesque (dy-ie) pere & maistre de tous Euesques.*

PRAETEREA, & eidem, & de eodem, ait [1]: *Ie pense que me pourray garder, que vostre Saincteté ne sera par aucun prouoquee à l'encontre de moy, à fin que ie ne tombe en quelque excommunication.* Et inferius: *Toutesfois ie prendray peine tãt qu'il me sera possible, & autant que celuy, de qui vient toute bonne donation, & tout don parfait, m'en fera la grace, que le dernier iour qui m'est incogneu, & peut soudainement arriuer, ne me trouue aucunement (ia n'aduienne) retranché de la communion du Siege Apostolique.*

[1] *In eod. cap.*

AT Fulbertum Carnutum Episcopum audiamus, ad Ioannem 19. Pontificem sic scribentem. *Epist. 2.*

DOMINO *sancto & vniuersali Papæ Ioanni, Fulbertus Carnotensium humilis Episcopus orationum fidelia. Gratias omnipotenti Deo, qui more benignitatis suæ tuam pater humilitatem respexit, & summo (vt decebat) dignitatis apice sublimauit. Proinde totus mundus ad te conuertit oculos, téque vnum omnes beatissimum prædi-*

cant, contemplantur altitudinem tuam sancti viri, & gaudent quod eis similitudinem omnium virtutum alludis. Respiciunt persecutores Ecclesiæ districtionis tuæ baculum formidantes. Suspiciunt ij qui flagellantur ab impijs, & respirant sperantes adhuc restare sibi consolationis remedium. De quorũ numero sum ego, magnæ & præclaræ Ecclesiæ pusillus Episcopus, qui tibi pater de angustiis meis querimoniam scribens auxilium tuæ pietatis imploro. Est enim quidã Comes malefactor nomine Rodulphus, nimium vicinus nobis, qui res Ecclesiæ nostræ per iniustam occasionem inuasit, vnum de clericis nostris suis manibus interfecit, duos alios captos sacramentis illigauit. Et de his omnib⁹ appellatus in Curia Regis, & coram plena Ecclesia sæpe vocatus, non propter hominem, nec propter Deum ad iustitiam venire dignatus, à nobis tandem excommunicatus est. Nunc verò ad limina sancti Petri contendit, tãquam ibi possit accipere de peccatis absolutionem, vnde venire non vult ad emẽdationẽ. Vnde rogamus te dilectissime pater, cui totius Ecclesiæ cura commissa est, vt eum de sanguine atque iniuria filiorum tuorum ita arguere & castigare memineris, sicut meritum esse tua prouidentia nouit. Nec tua sanctitas iniustè in communionem recipiat, quẽ diuina auctoritas sicut Ethnicum alienat. Vnde bone Pastor, euigila super nos, ne per incuriam tuam grex Domini detrimentum sustineat.

1 Epist. 18. Et in alia Epistola, ¹ Coepiscopo suo Guidoni, cui, quia Episcopum nullis Ecclesiasticis ordinibus signatũ, à populo nihilominus & Clero Ciuitatis electum, ordinauerat, dicit. *Magni etenim viri, vt optimè nosti, Ambrosius Mediolanensis, & Germanus Antisiodorensis, aliq; nonnulli, quia tales in lai-*

co ha

co habitu extiterũt, subitò nobis sancti Præsules exierũt. Dominus verò Papa, cuius animaduersionem te revereri significasti, non est quòd tibi meritò debeat succensere, si te grauiter collapsæ sanctæ Remensi Ecclesiæ aliquam spem resurrectionis audierit prouidisse.

Et in alia,[1] *Turonensium Archipræsuli*, ait. *Respondemus itaque vobis, quia si pallium requisistis à Romano Pontifice, & ipse vobis illud sine causa legitima denegauit, propter hoc non est opus dimittere ministeriũ vestrum: vt si vestra tarditate nondum est requisitum, cautela expectare donec requiratur, ne vos ex improuiso præsumptionis arguere possit. Continentur enim quædam reuerẽda nobis in priuilegijs Romanæ Ecclesiæ, quæ, propter negligentiam nostram non facilè inueniũtur in armariis nostris. Valete.* 1 Epist. 30.

Rursus in altera,[2] Fratri Theodorico dat rationes quare ipsum nõ ordinaret, dicẽs inter alias. *Hæc tamen causa datis induciis corrigi potuisset, Altera fuit, quod sub ipso deliberatæ ordinationis articulo propter crimen homicidij, quod audierat, missum à Domino Papa vidimus interdictum. Quod si ille non mitteret, esset tamen obseruanda sententia Apostoli dicẽtis, oportere non solum Episcopũ, sed Presbyterum quoque, & diaconum sine crimine esse.* 2 Epist. 45.

Et in alia,[3] Excellentissimo Regi Roberto, dicit. *Cùm enim te prudenter agere accipio, lætor: sin autem, tristor & timeo. Audito igitur inter alia quòd proxima solemnitate Natalis Domini Concilium habiturus sis cum Principibus Regni de pace componẽda, gaudeo. Sed audito quòd Aureliana ciuitas videlicet incendio vastata, sacrilegijs prfoanata, & insuper excõmunicatione damnata, nec post reconciliata, miror & paueo.* 3 Epist. 77.

Quanto enim dolore putas afficiendos esse Sacerdotes fideles tuos, qui ad honorificentiam Dei, & tuam ipso die congregandi sunt, si in eo loco fuerint vbi nec ipsis sacrificare liceat, nec tibi sacrosanctam Eucharistiam percipere? Absit hoc à te charissime Domine, vt tu in tanta solemnitate, aut diuinis officiis careas, aut illicitè vel indignè te sciente vsurpari permittas? Quod ideò te præmonere curaui, vt vel illum locum facias reconciliari, aut vbi melius sit solemnitatem celebrare memineris.

VERVM, Iuo & ipse Carnotensis Episcopus est audiendus, si prius quæ duæ extant Vrbani ij, Epistolæ, de illius nēpè electione, & ordinatione, vna ad Clerum & populum Carnotensem; altera, ad Senonum Archiepiscopum, prius exscribantur; Quarum prima est.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei dilectis in Christo filiis, clero ac populo Carnotensi, Salutem & Apostolicam benedictionem.

NOS *quidem tum pro beatæ Mariæ semper Virginis deuotione ac reuerentia, tum pro nostri officij debito, Ecclesiæ vestræ dilectionem, protectionem, & curam specialius impendētes, eiusq; labores diuturnis quos à Gaufrido quondam Episcopo passa est propensiore animo perpendentes, rei veritate diutius, atque diligentius pertractata, largiente Domino iustitiæ satisfecimus. Bonam itaque animi vestri voluntatē præuenientes ac subsequentes, venerabilē virum Iuonem Presbyterum, quem Gaufrido per nos deposito Catholicè atque Canonicè secundum*

cundum nostra monita elegistis, ne quod vlterius hac in re impedimentum vestra Ecclesia pateretur, sine moræ longioris obstaculo consecrauimus. Nunc eum ad vos remittentes tanquam B. Petri manibus consecratum, B. Petri vice vos rogamus & obsecramus, quatenus eum benignè suscipientes, debita, vt Pastoris veri membrum, obedientia honoretis, debita sollicitudine, quæ vobis annunciauerit obseruetis; & ipse Deo placere, & eum pro vestris valeat excessibus dignè intercedendo placare; vos quoque placere Deo totis conanimibus procurate. Si enim placere Deo studueritis, Pastorem proculdubio Deo placentem habebitis: nos quoque in vestris opportunitatibus ad exaudiendum paratos inuenietis. Porrò de Gaufrido, qui sine cõditione omni nostris in manibus Episcopatum reddidit, indignum se patenter agnoscens, præcepimus & præcipimus ne quis ei vllo modo ad Episcopatum reinuadendum, vel infestandum assensum accommodare præsumat: aliàs & ipsum, & ipsius fautores excommunicationi subiacere censemus. Obediẽtes verò monitis nostris gratia diuina custodiat. Data Capuæ 8. Kal. Decemb.

Vrbanus Episcopus seruus seruorum Dei R. Senonensi Archiepiscopo, Salutem & Apostolicam benedictionem.

QVANTAS *pro Gaufrido quondam Episcopo, Carnotensis Ecclesia molestias sustinuerit, quantæ ad Apostolicã sedem querela perlatæ fuerint, dilectionis tuæ strenuitas recognoscit. Tandem rei veritate diligentius perquisita, largiente Domino iustitiæ satisfecimus.*

& ab ipso in nostris manibus sine cuiuslibet tenore conditionis Episcopatus refutatus est. Tunc ad tuam fraternitatem scripta direximus rei gestæ ordinem indicantes, & vt tuum Carnotensibus ad eligendum & consecrandum Antistitem auxilium contribueres, flagitantes, Nostra itaque fulti licentia Carnotenses venerabilem presbyterum Iuonem canonico ordine in Episcopum elegerunt. Cùm autem à te consecrationis gratiam pro more Ecclesiæ petinissent, tua ei fraternitas manum imponere recusauit. Ad nos igitur ipsis venientibus, & consecrationis eiusdem gratiam deposcentibus, nos qui viri religionem iamdudum noueramus, & eius eligendi licentiam dederamus, petitioni iustæ deesse nequiuimus. Consecratum ergo eum salua Ecclesiæ tuæ obedientia remittentes, dilectionis tuæ dulcedinem postulamus; vt omni litis fomite consopito, benignitate eum debita complectaris, & ad Ecclesiæ regimen auxilium tuum ei largiaris. Porrò Gaufridum si Episcopatum inuadere, aut Ecclesiam infestare tentauerit, ipsum ipsiusq; fautores anathemati subiacere decreuimus. Data Capuæ vij. Kal. Decemb.

[1] Epist. 71.

IVO itaque Carnotensium Episcopus, dicit[1] Paschali summo Pontifici, *Nouerit vestra paternitas me Guidonem Puteacensem refugam, & clericalis militiæ desertorem, propter sacrilegia sua, propter lamẽtationem & oppressionem pupillorum & viduarum, propter indebitas angarias, propter intolerabiles exactiones quas exercet in possessionibus Ecclesiæ Carnotensis, tanquam putridum membrum à corpore Ecclesiæ præcidisse, & Sathanæ cui penè per omnia famulatur, cum suis sequentibus tradidisse. Vnde flexis genibus cordis paternitati vestræ suplico, vt sententiam anathematis iustè in*

eum

eum factam Apostolica auctoritate confirmetis, & Archiepiscopo Senonensi, Episcopo Aurelianensi, Episcopo etiam Parisiensi, vt idem anathema in eum faciant, vestra auctoritate Apostolica iniungatis.

Et in alia, Senonensium Archiepiscopo scribens, inquit: [1] *De veteri querela quam habet aduersus Senonensem Ecclesiam Lugdunensis Ecclesia, laudo & consulo vt si qua habetis priuilegia Apostolica manu roborata, vel scripta authentica, quæ primatum Lugdunensis Ecclesiæ, quem aliquãdo ex Catalogis ciuitatum conijcimus extitisse, ab Ecclesia vestra remoueant, & libertatem quam desideramus eidem Ecclesiæ defendant, ea confratribus nostris ostendatis, & eadẽ paruitati meæ transmittatis, quibus tanquam firmis sustentaculis innitamur, & libertatẽ matris nostræ pro posse nostro tueamur. Quæ si modò ad manum non habetis, non est consilium meum vt contra torrentem brachia dirigatis: immò Apostolicis sanctionibus interim adquiescatis, absque præiudicio priuilegiorum vel authenticarũ scripturarum, si quando reperiri poterunt, quæ hanc subiectionem ab Ecclesia vestra remoueant, & eiusdem Ecclesiæ libertatem defendant.* 1 Epist. 118.

In alia verò Lugdunensi Archiepiscopo Sedis Apostolicæ Vicario, dicit. [2] *Quoniam quæ geruntur in Ecclesiis, ad auditum Sedis Apostolicæ, vel legatorũ eius referenda sunt per litteras vel nuncios eorum per quos gesta sunt, ne vel æmulorum obtrectatione. vel famæ mutatione secus acta credantur quæ facta sunt, ad notitiam vestram referri curauimus quid de Aurelianensis Ecclesiæ ordinatione nuper egerimus.* 2 Epist. 122.

Rursus ad Ludouicum Regem, dicit in alia Epistola. [3] *Suggestũ est, excellentiæ vestræ quòd Clerici* 3 Epist. 266.

Carnotensis Ecclesiæ ius præpositorum suorum minuant, & quod longo vsu possederunt eis auferant. Vnde suadeo serenitati vestræ, ne credatis omni spiritui, maximè sua quærenti, & non quæ sunt Iesu Christi. Non enim minuitur aliquid de iure præpositorum, vel aufertur, sed Apostolica auctoritate interdicuntur eis illicitæ angariæ & pauperum vexationes, quas non tantum Clericis, sed nec laicis licet exercere, vel exigere. Quod cùm ex relatione clericorum more Ecclesiastico peruentum sit ad aures Apostolicas, ne illicitæ angariæ amplius in pauperes Ecclesiasticos fiant, Papa sub anathematis vinculo prohibuit, & quod prohibuit scripto firmauit. Non potest igitur decretum Apostolicum, inconsulto Apostolico, vel à me, vel ab aliqua persona, sine periculo ordinis sui destrui, mutari, vel minui. Vnde flexis genibus cordis supplico excellentiæ vestræ, vt super admonitione vestra congruas mihi, & Ecclesiæ detis inducias, donec transacto feruore canicularium dierũ possint legati Carnotensis Ecclesiæ ad Sedem Apostolicam mitti, & permittente Sede Apostolica, conseruata iustitia, & remota pauperum oppressione, sine periculo Ecclesiæ vestræ voluntas adimpleri. Interim autem rogo & moneo Regiam maiestatem vestram, vt cum Ecclesia pacem habeatis, nec de peccato alieno peccatum vestrum cumuletis.

ET in alia, [1] ad Preuestinum Episcopum legatum Sedis Apostolicæ, inquit: *Nouit vestra sollicitudo, quia vaccæ quæ arcam portabant relictis fœtibus domi Bethsamis ibant; & cùm pro fœtibus mugientes retro aspiciebant, non tamen à via exorbitabant. Quod attendere debet sollicitudo vestra: quia licet ab obedientia Sedis Apostolicæ ratione dissentire non velimus: tamen aliquando fraternæ compassionis affectu, pro fratribus in tribula*

[1] Epistol. 275.

tribulatione positis, Sedem Apostolicam, vel Vicarios eius compellare compellimur; vt moderato rigore iustitiæ, amicis & familiaribus nostris aliquod consolationis remedium impetremus. Vnde pro Baiocensi Episcopo iustis de causis nobis amicissimo, sollicitudini vestræ supplicamus; quatenus excommunicationem in Episcopos Normanniæ intentatam ita in eo temperetis, pro amore Dei & nostro, & cæterorum pro eo supplicantium, vt si Episcopale officium ei concedere non potestis, saltem introitum Ecclesiæ ad tempus non negetis.

In alia autem summo Pontifici Paschali dicit[1]: *Quoniam Sedes Apostolica omnium penè pulsantium necessitatibus occurrit, vt ab ea lac paruulis, solidus cibus adultis, pro cuiusque necessitate ministretur. Vnde Eboracensis Ecclesia in partibus occidētis posita, diù Pastore desolata, tam per filios, quàm per familiares suos ad aures matris suæ piæ pulsat, vt in tribulatione posita maternæ misericordiæ viscera inueniat.* 1 *Epistol. 278.*

Nec omittendus Arnulphus est Episcopus Lexouionensis, qui scribens Pontifici Adriano 4. pro Ecclesiastica libertate, ait: [2] *Lator præsentium manifester Simon miserabiles ad Apostolicam Sedem portat iniurias, quarum si ille locus Episcopum habuisset, audita à vobis prius esse debuerat vindicta, quàm culpa. Audite eum, & iniurias eius immò vestras, seueritate debita vindicate, ne huiusmodi aduersus Apostolicam Sedem insolescat audacia, præsertim cùm in partibus illis, in contemptum eius pleraque iam incipiāt germina pullulare. Occurrendum est igitur ne tractu temporis impunita malignitas conualescat, & vires iniquitati dissimulatio vestra, vel indulgentior gratia subministret. Iam enim nomen Apostolicum, quod hactenus in terra illa* 1 *In epist incip. Lator præsentium.*

reuerentiæ

reuerentiæ fuerat & terroris, in causam scãdali versum est, & contemptus: nec appellantem prouocatio liberat, sed in se potius vehementiam iudicis exacerbat. Sensit hoc iste, qui propter appellationem reclusus in carcerem, ac miserabili tortus inedia, nec apud Tyrannum sine pecunia, nec apud Episcopum sine detrimento causæ potuit liberari, &c. Verùm priuata communis causa præponderat, quoniam de Ecclesiæ Dei libertate tractatur, nec iam spes restat vlla refugij, si in irritum deducta fuerit Apostolicæ protectionis auctoritas. Vindicate igitur, ne fortè, quod absit, procedat temeritas in exẽplum, sed clarius audita correctio imperitiam doceat, & compescat audaciam.

1 Incip. nuper iniuria.

ET in alia,[1] ad Rothomagensem Archiepiscopum, ait: *Indicatum enim est inter nos, & à delegatis ab Apostolica Sede iudicibus imperatum, vt nobis ablata restituat, & excommunicatos ad satisfactionem venire compellat, sacerdotem offerat, per quem & Ecclesiam & populum nobis, tanquam Pastori & Episcopo animarum suarum, faciat obedire.*

2 Incip. Benedictus De⁹.

ET in alia,[2] ad Alexãdrum III. summum Pontificem, dicit: *Benedictus Deus & Pater Domini nostri Iesu Christi, qui Ecclesiam suam, immaculatam scilicet sponsam dilecti filij sui, mirabili semper benignitate diligit & conseruat. Licet enim ipsam aliquibus quandoque vexari patiatur iniuriis, facit tamen cum tentatione prouentum, vt possit sustinere, nec vnquam portas inferi aduersus eam præualere permittit. Neque enim expedit, vt continua prosperitatis status eam insolentem reddat, vel otiositas negligentem, sed humilitatem conseruet afflictio, & vexatio tribuat intellectum. Et ei quidem omnia cooperantur in bonum, dum ipsa tanquã aurum in*

rum in fornace prebatur:& ad augmentum coronæ cuncta proficiunt, dum eam vis aduersitatis fortiorem reddit,& malignitatis infestatio cautiorem. Ipsi verò miserator & misericors Dominus ad tempora tribulationis viros virtutis & consilij prouidet & præformat, qui temeritatis audaciam repellere valeant, & malignitatis astutiam nouerint declinare. Quod in sancta & gloriosæ recordationis Innocentio Papa satis euidenter apparuit, qui extollentem se aduersus omne quod dicitur, aut quod colitur, Deus, deiecit hæreticum, quem nobilitas generis, quem diuitiarum cumulus, quem peccatrix eloquētia quem prudentia sæcularis, quem denique sæcularium hominum fauor publicus attollebat. Preualuit in athleta Dei veritas falsitati, & humilitati robustæ superba cessit ambitio, & de iniquitate iustitia triphauit. Vidimus siquidem ipsum exaltatum & eleuatū, sicut cedros Libani,& transiuimus,& ecce non erat: quæsiuimus, & non est inuentus locus eius, quia nec inter mortuos tumulum, neque titulum meruit sepulturæ. Dominus autē sublimauit cornu Christi sui, vt in eo vnitas Ecclesiæ reformari posset,& regnum ipsius omnibus dominari. Memini ego, nec id à vestra reor excidisse memoria, quanta ad mandata eius principes reuerentia mouerētur, quàm sublimis extiterit, quantaq; maiestate refulsit Ecclesia, quantum in diebus eius religio munda & immaculata profecerit, adeò vt plures hodie religiosorum deserta contineat, quàm ferarum olim habuerint bestiarum. Arbitrabatur ille ad regendos homines vtendum potius sobria seueritatis disciplina, quàm remissæ misericordiæ lenitate, Deo potius quàm hominibus placere desiderans, ne ob gratiam hominū, coram Deo posset contemptibilis apparere. Vnde & virtus eius semper inter

aduersa

aduersa maior enituit, nec tanta postmodum prosperitatis eius insignia claruerint, quanta praecedentis aduersitatis adhuc magnalia celebrantur. Neque enim confidebat in homine, neque carnē ponebat brachium suum, sed potius confidebat in Domino, & erat Dominus fiducia eius. Porrò schismata hæc in Ecclesia Romana frequentius accidisse, etiam Lateranensis Palatij picturæ demonstrāt. vbi Catholicorum patrum pedibus, pro scabello schismatici præsumptores adscripti sunt, vbi superborum & sublimium colla sapientia propria virtute cōterit & conculcat. Et inferius. *Ego minor licet omnibus, non minore tamē gaudio quàm cæteri, gloriā vestræ promotionis amplector, & vos Apostolum Christi, Petri Vicarium, Pastorem & Episcopum omniū qui Christiano nomine censentur agnosco, & vobiscum Catholicam profiteor vnitatem. Gaudeo itaque quoniam desideratus dies, dies scilicet exultationis illuxit, quo reuera restitutam credimus virtutibus gratiam, virgam vitiis, terrorem Principibus, Ecclesiæ libertatem.*

1 *Incip. Quā vtilis.*

RVRSVS in alia, [1] ad Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ait: *Gaudeo itaque sciens me re verà matris meæ gremio cōtineri, ipsiusq; sacris foueri complexibus, & sinceris vberibus allactari. Gaudeo, inquā cognoscens quā obstinato schismatici miserādæ cæcitatis claudantur errore, quorum oculos circunfusæ lucis radij non illustrant, sed ipse potius excedens manifesta fulgor claritatis offundit. Iudicati sunt, debitamq; commissi reatus excepere sententiam, quos Ecclesia tanquam degeneres Sathanæ tradidit in interitū carnis, & à Catholica depulit vnitate.* Et inferius. *Quòd enim nos in hac vobiscum vnitate consistimus, quòd hæreticam prauitatem cū suo detestamur auctore, vobis debetur gratia, qui cœpistis,*

pistis, à quibus nos auctoritatem duximus & exemplum. Ipsi itaque duces nostri, ipsi re vera de fortissimis Israel estis, quibus lectulus Salomonis datus est, propter timores nocturnos fidelibus excubijs ambiendus. Ad vos, velut ad lucernam super candelabrum positam, Orientalis pariter & Occidentalis concurrit Ecclesia; sed ad insulas quæ procul sunt, sonus veritatis exiuit, à quibus tãquam à finibus terræ, plerique iam per discrimina multa venerunt audire sapientiam Salomonis. Licet enim nos plurima locorum spatia disiungant, charitas semper indiuisa coniungit, quos vnus spiritus, vna fides, vna confessio dirigit ad salutem. In hac decreuimus vobiscum constantia permanere, in hac vobiscum viuendum est, in hac cùm voluntas diuina decreuerit moriendum, quia neque mors, neque vita, neque aliquid vnquam ab huius nos sententiæ professione seiunget. Interim si Domino nostro, & vobis, nostram non possimus præsentiam exhibere, aliqua tamen ex parte supplet deuotio charitatis absentiam, quoniam venerabilibus patribus nostris Sedis Apostolicæ legetis assistimus, cum eis toto studio sanctæ Romanæ Ecclesiæ vtilitatibus insistentes. In quibus tanta refulget Apostolicæ sanctitatis & doctrinæ perfectio, vt eis plus gratiæ merita contrahant, quàm terroris reuerentia disciplinæ. Viri sunt, quorum sanctitatẽ miratur populus, sapiẽtiam clerus vsquequaque collaudat; ad virtutem seueritatis Principes expauescũt. Ad summam, tanta omne opus suum mansuetudine temperãt, vt neque seueritas disciplinæ pereat, & in omni parte sanctæ Romanæ Ecclesiæ gratia conualescat.

Etsi veró quæ illustria de summo Pontifice, in suo secundo libro de consideratione Diuus Bernardus dicit, vt omnibus planè nota, omitterẽ duxerim,

1 Epist. 183. duxerim, non tamen potui omittere, Quæ dicit[1] ad Conradum Imperatorem. Ait enim. *Legi quippe, omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit, & qui potestati resistit Dei ordinationi resistit: Quã sententiam cupio vos, & omnimodis moneo custodire, in exhibenda reuerentia summæ & Apostolicæ Sedi, & beati Petri Vicario, sicut ipsam vobis vultis ab vniuerso seruari Imperio.*

2 Epist. 236. Et ad omnes Cardinales, dicens:[2] *Ridiculum profectò videtur, pannosum homuncionem* (de Eugenio loquitur) *assumi ad præsidendum Principibus; ad imperãdum Episcopis; ad Regna, & Imperia disponenda. Ridiculum an miraculum?*

3 Epist. 237. Et ad Eugenium ipsum Põtificem, inquiens:[3] *Locus in quo stas, terra sancta est; Locus Petri est, locus Principis Apostolorum, vbi steterunt pedes eius; Locus illius est, quem constituit Dominus Dominum domus suæ, & Principem omnis possessionis eius.* Et inferius. *Ad hoc enim constitutus es super gentes, & Regna, vt euellas, & destruas, & ædifices, & plantes.*

Hæc illi antiqui Patres, quæ vt ad prosternẽdos schismaticos satis multa videri possunt, ita si de subleuandis, reficiendísque Catholicis ratio haberetur, illorum operum integra volumina huc transportari operæpretium foret. Verum cum iste locus id non patiatur, id vnum, quod fieri cõmodè potest, ea omnino perlegẽda omnibus propono, & quod huius rei gratia nullum bonum vnquam pœnitebit, optima fide, prædem me constituo. At vos ex his recognoscere potestis, quòd isti sunt illi venerabiles, sanctique viri; in Gallicanis Ecclesijs Præsules, & Abbates, prædecessores vestri

vestri, Pseudopræsules, pseudóq; Patres, qui Carnotense Conuenticulum adornastis. Et quod hi longè diuersum ab eo, quod vos facitis, legatos Sedis Apostolicę, suis munitos facultatibus, obsequenti animo excepere; Monitiones summi Pontificis, corde humili, susceperunt; illius excommunicationes, cum tremore, sunt veriti; censuras timuerunt; illius obseruarũt interdicta; Interdictis in locis sacra fieri enixè cauerunt; Si quandóque duriter à Sede Apostolica secum agi existimauerint, moderationis consequendæ gratia, ad eandem Sedem recurrendum fore censuerunt; Compassi sunt in Pontificum afflictionibus, & in suis à summis Pontificibus leuamen quæsierunt; Sententias Romani Pontificis, suis etiam contrarias, patienter, vt ab Episcopo Dominæ, & Magistræ omnium Ecclesiarum, vtque ab omnium Episcoporum Patre, sustinuerũt; Romanæ Ecclesię consuetudines se doceri petierunt, vt in omnibus vna duntaxat esse Ecclesia ostenderetur; Causas dubias, graues, & maiores, summi Pontificis causas esse sunt ingenuè professi; Quę grauia in Ecclesiis gerũtur, ad Sedem Apostolicam, legatúmve eius, esse referenda censuerunt; Si gratias, quas à summo Pontifice peterent, non impetrassent, non ob id deserendum ministerium, sed, ne præsumptionis argui possent, patienter expectandum esse iudicauerunt; Apostolica priuilegia obseruauerunt, Pontificum edicta, atque leges, à Regibus etiam esse seruanda, ipsis Regibus persuaserunt; Aduersus turbantes, lædentésque Ecclesiã summũ ipsum


Pontificem implorarunt;Summi Pontificis dignitatem,& poteſtatẽ, optima fide, promptáque voluntáte,agnouerunt, & ſunt reueriti: Illóſque Vicarios Chriſti, & Petri ſucceſſores enuntiauerũt: Spernere ſummum Pontificem, eiúſque literas nõ recipere,ſummum malorum eſſe ſenſerunt: Schiſmaticos damnatos eſſe pronunciauerũt: ex eo verò quod ipſi eſsẽt in Eccleſia, ſummo gaudio ſunt affecti. Etſi illos ideó Conuenticuli ſacerdotes, prædeceſſores veſtros eſſe agnouiſſetis, ad illóſque vos potius,quàm ad Gũtharios, Tietgaudos, & huiuſce farinæ hodiernos delirantes,mẽtis aciẽ direxiſſetis,illorum veſtigia ſequentes(non dubito)Apoſtolicã Sedem venerati fuiſſetis: Subditos, & obedientes vos ipſos exhibuiſſetis Gregorio ſummo Pontifici,nec vnquam vt feciſtis, illius nihili feciſſetis ſalubria monita: Nõ aliis,edito edicto.vt illa ſpernerent ſuaſiſſetis, præcipiſſetíſque: Manſiſſetis in Eccleſia Catholica, alióſque in illa permanere,extra quam nec Eccleſia eſt, nec ſalus eſſe poteſt,permiſiſſetis; Hæreticum,parẽdo ſummo Pontifici,deſeruiſſetis, & vt idem Franci Nobiles,Pſeudoiudices Turonenſes,&Cathalaunenſes,& ij omnes ex gregibus,quos cõmiſſos vobis à Deo eſſe,in ſpecioſa præfatione veſtra decãtaſtis, facerent,hortari non omiſiſſetis: Præcipitium, ad quod,ni reſipiſcatis,celeri curſu,tenditis,aufugiſſetis: atque quieſcere permiſiſſetis ſanctã Catholicam,& Apoſtolicam Romanã Eccleſiam, illiúſque Pontificem,Chriſti Vicarium, & Petri ſucceſſorem, qnem lædere nunquam fuit alicui datum impune.

LAVS

LAVS DEO.

SI quid præter mentem excidit, quod deuiet à Catholica Ecclesia: aut aures Catholicorũ offendat, indictum esse volo, profiteor, & protestor: atque id, cæteráque omnia, libens correctioni sanctæ Catholicæ Ecclesiæ, Catholicorumque patrum, humillimè submitto.

M. ZAMPINVS.





SVMMA CAPITA.

In responsione ad Cathalaunenses.

VLLVS mundi Princeps potestatem habere potest in Ecclesiam, nisi ex summi Pôtificis priuilegio. pag. 3.
Vnica est Catholica Ecclesia, côdita à Christo; & Petro, & successoribus commissa. pag. 8. & 9
Gregorij 14. Monitionis literę dici iniuriosæ non possunt. pag. 11
Nec scandalosæ. pag. 13
Nec libelli infamatorij. pag. 14
Nec tendentes ad seditionem, & euersionem status Franciæ. pag. 16
De sancto Chrismate ad Reges vngendos è cœlo demisso. pag. 18
Ex verbis Christi nulla colligi potest Regum potestas in Ecclesiam. pag. 19. et 20

In responsione ab Turonenses.

Gregorius 14. Nec est inimicus pacis; nec vnionis Ecclesiæ Catholicæ Romanæ. Quis sit inimicus; Quid vnio; Quid pax, & quotuplex. pag. 26
Nec est inimicus Regis, nec status illius. pag. 33
Nec fautor coniurationis Hispanicæ. pag 35

Couiuratio Regis & Regni in Nauarrum. pag.36
Iusiurandum Regis, & Regni de non recipiendo Nauarrum in Regem. pag. 40. & 41
Nec Gregorius fautor est rebellium, & Parricidarum. pag.43
Literæ non sunt nullæ. pag.45
Pastoris munus. pag.46
Nec literæ sunt abusiuæ. pag.48
Nec seditiosæ. pag.52

In responsione ad Conuenticulum Carnotense.

Titulus, quem dicunt Declarationis. pag. 58
Præfatio satis speciosa. pag.59
Pontificem male instructum non esse de statu Regni, & actionibus Patrũ Conuenticuli. pag.60
Nec suasum instigationibus inimicorum Francię. pag.61
Literæ non suut nullæ neque in forma, neque in materia. pag.62
Ligant tam ipsos Pseudopatres Conuenticuli, quã reliquos omnes, qui sunt sub Nauarri obedientia. pag.65
Explicatio dicti Alexandri 3. ad Rauennatem. pag.69

In confutatione rationum, quibus schisma induci laboratur.

An Pontifex priuilegium Gallicanæ Ecclesiæ cõcesserit, quod Rex ab ipso excommunicari non possit. pag.83

Priuilegia Pontificum Franciæ Regno, & Regibus concessa. pag. 85
Pontifices, qui Francos Reges monuerunt, & excommunicauerunt. pag. 99
Vignerij imposturæ in Pontifices. pag. 101
Pontifices, quorum actiones Vignerius carpit. pag. 145
Auctoritas pontificis in Gallis. pag. 159. & 160
Quid egerint, dixeríntve ij Reges, & alij, qui fuerunt à summis pontificibus excommunicati. pag. 160
Qui sunt illi prædecessores Episcopi, quorum exempla sequi, & eisdem, quibus illi, iuribus Gallicanæ Ecclesiæ vti, minatur Pseudopatres Carnotensis Conuenticuli. pag. 163
Gũtharij, & Thietgaudi temeritas in pontificem. pag. 164
Setentia summi pontificis in illos, & Decrata Synodalia. pag. 167
Confutatio calumniarum ipsorum. pag. 170
Guntharij, & Thietgaudi pœnitentia. pag. 175
Vignerij calumniæ, & ineptiæ, pro illis. ibidem.
Confutatio illarum. pag. 176
Quoties Galliarum Episcopi ab indubitatis pontificibus dissederint. pag. 184
Guntharij, & Thietgaudi factum sequutum est? & non solum, quæ iura dicunt, sed verba etiam ab illis sumpsit, Carnotense Conuenticulum. pag. 185
Qualiter Antiqui Galliarum sancti præsules, & patres, erga Sedem Apostolicam se habuerint. pag. 187
Lupus

Lupus. pag.190
Hincmarus. pag.192
Fulbertus. pag.195
Iuo. pag.198
Arnulphus. pag.203
Bernardus. pag.207. & 208
Epilogus eorum,quæ isti sancti patres,aut egerũt, aut dixerunt. pag.208.209

FIN.